Tomus XVI (I novae seriei) Fasc. IV. **Mense Novembri 1927**

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

EDITA

A

D. M. PALERMO LAZZARINI, S. I.
Praefecto studiorum in Pont. Universitate Gregoriana
A. VERMEERSCH, S. I. Prof. Theologiae moralis
F. M. CAPPELLO, S. I. Prof. Iuris canonici
I. M. HANSSENS, S. I. Prof. Theologiae Liturgicae
in eadem Universitate

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

INDEX RERUM ANALYTICUS

I. Dissertationes, Quaesita, Casus

Pag

Nonnullae Quaestiones de Confirmatione et prima Communione **F. M. Cappello**, S. I.
I. An Episcopus lege aut generali praecepto statuere valeat ut iis tantum ministretur sacramentum Confirmationes qui primam iam Communionem peregerint? . 121*
II. An Episcopus praecipere valeat ut Confirmationi sacramentalis Confessio et naturale ieiunium praemittatur? 128*
III. An infans latinus qui, deficiente sacerdote proprii ritus, baptizatur a presbytero graeco, Confirmationem et Eucharistiam recipere valeat? . . . 130*
IV. An et quomodo iudicium de sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem, quod confessario et parentibus tribuitur, conciliari possit cum iure et officio parochi? 133*
De extensione regulae: Remotior consanguinitatis gradus trahit ad se proximiorem. **Dr Andreas Bride** 136*
De Concelebratione eucharistica. **F. M. Hanssens**, S. I.
Notiones De Sacramentalis concelebratione in ordinationibus sacerdotalibus et episcopalibus consecrationibus 143*
I. Usus hodiernus in ecclesiis latinis; in ritibus orientalibus 148*
De conscribendis Constitutionibus Congr. votorum simplicium vel iisdem ad Codicem aptandis (Continuat). **A. Vermeersch**, S. I.
De variis personis quae ad Institutum pertinent.
5. De admissione in religionem. - 6. De egressu e religione 154*
De Instituti regimine seu gubernatione.
7. De Superioribus Instituti. - 8. De Capitulo generali. 9. - De Superiore generali. - 10. De Consilio generali. - 11. De Procuratore generali. - 12. De Oeconomo generali. - 13. De Secretario generali. - 14. De Magistro Noviciorum. - 15. De Superiore locali. - 16. De quibusdam aliis officiis. - 17. De Praecedentia. - 18. Constitutionum obligatio 164*
Casus de praevisa ob Missionem omissione Communionis paschalis. **E. Jombart**, S. I. 172*
Casus de usu can. 875 § 1 ad conferendam iurisdictionem. **E. Jombart**, S. I. . 175*
Solutio casus de confirmatione: ministro competente et patrino, propositi p. 120* **A. Vermeersch**, S. I. 177*
Casus de Missae integritate et defectibus. 179*

II. Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XI.
42. Breve *ad Sancti Dominici.* Indulgentiae recitantibus coronam B. M. V. coram Sanctissimo (4 sept. 1927). - *Annotationes* 12
47. Acta summatim relata.
A. Litterae de munere quodam in Curia Romana 13
B. Litterae de indulgentiis 13
C. Litterae de dioecesibus 13
D. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis . . . 13
E. Litterae de ecclesiis 13
F. Litterae de erigendo seminario 13

Suprema Congr. S. Officii.
43. Resolutio de Conventibus (quos dicunt) ad procurandam omnium christianorum unitatem (8 iul. 1927). - *Annotationes* 12
44. Decretum iussu Pontificis opus « Les Pièces d'un procés » (19 sept. 1927). - *Annotatio* 13

S. C. Consistorialis
48. 1. Dismembratio et aggregatio parochiae *(Summatim).* . . . 13
2 Designatio Ordinarii pro appellatione *(Summatim).* . . . 13

S. C. Concilii
49. Notificatur interdictum personale *(Summatim)* 13

S. C. de Religiosis.
50. Approbationes Constitutionum vel Instituti (*Summatim*) . . . 14

S. C. de Prop. Fide.
51. Designationes Ordinarii pro appellatione (*Summatim*). . . . 14

S. Cong. Rituum.
45. Responsum de Missa coram Sanctissimo exposito 13
Annotationes 13
52. A. Festum S. Teresiae a Iesu Infante extenditur ad Ecclesiam universam (*Summatim*) 14
B. Causae beatificationis et canonizationis (*Summatim*) . . . 14

S. Paenitentiaria Apostolica.
46. Dispensatio matrimonialis pro foro externo, ex speciali Apost. auctoritate. (*Annotationes*) 13

S. Romana Rota
53. Oratio inauguralis anni iuridici (*Summatim*) 14
54. Provisio Ecclesiarum 14
55. Nominationes 14
56. Necrologium 14

Bibliographia 14

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Nonnullae quaestiones de Confirmatione et prima Communione.

Summarium: I. An Episcopus lege aut generali praecepto statuere valeat ut iis tantum ministretur sacramentum Confirmationis, qui primam Communionem iam peregerint. — II. An Episcopus praecipere possit, ut Confirmationi sacramentalis confessio et naturale ieiunium praemittatur. — III. An infans latinus qui, deficiente sacerdote proprii ritus, baptizatur a presbytero graeco, Confirmationem et Eucharistiam recipere valeat. — IV. An et quomodo iudicium de sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem, quod confessario et parentibus tribuitur, conciliari possit cum iure et officio parochi.

I.

An Episcopus lege aut generali praecepto statuere valeat ut iis tantum ministretur sacramentum Confirmationis, qui primam Communionem iam peregerint.

Procul dubio licita est susceptio et administratio Eucharistiae pueris, qui nondum sacramentum Confirmationis receperint. At aliud est *praecipere* ut prius sacra Communio, postea vero Confirmatio suscipiatur: idque praecipere *lege* aut *generali praecepto*. Hoc fieri non posse, ex dicendis manifesto patebit.

1. Ipsa natura Confirmationis, habito respectu ad Baptismum et Eucharistiam, seu proprius et nativus ordo inter sacramenta existens, postulat ut, per se et regulariter, Confirmatio sacrae Communioni praemittatur. Confirmatio enim est quoddam complementum et perfectio Baptismi. Unde S. THOMAS ait: « Manifestum est quod Baptismus, qui est spiritualis generatio, est prius; et deinde Confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et *postmodum* Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem virtutis » (1).

EUGENIUS IV in *Decreto pro Armenis* haec docet: « Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; *renati* autem et *roborati,* nutrimur divina Eucharistiae alimonia ».

Item *Catechismus Romanus:* « Primus est Baptismus, veluti ceterorum ianua, quo Christo renascimur. *Deinde* confirmatio, cuius virtute fit, ut divina gratia augeamur et roboremur.... *Tum* Eucharistia, qua, tamquam cibo vere coelesti, spiritus noster alitur et sustinetur » (2).

Hinc est quod omnes catecheses statim post baptismum de confirmatione agunt.

2. Constans et universalis praxis Ecclesiae tum latinae tum orientalis ea est, ut *ordinarie* prius sacramentum confirmationis, postea vero sanctissima Eucharistia recipiatur. Antiquitus etiam in Ecclesia latina pueri immediate post baptismum confirmari solebant. De hac re complura extant testimonia.

TERTULLIANUS ait: « Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... *Dehinc* manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum » (3).

---

(1) *Summ. theol.* III, q. 65, art. 2.
(2) *De Sacramentis in genere,* n. 21.
(3) *De baptismo,* cap. 7 et 8.

S. CYPRIANUS (1): « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur ».

Unde BENEDICTUS XIV dicit: « Certum est, olim tam adultos quam pueros *statim post baptismum* fuisse confirmatos » (2).

Quae disciplina saec. XIII, licet nonnihil remissa, nondum tamen penitus obsoleverat in Ecclesia latina (3).

Mos ministrandi sacramentum Confirmationis statim post Baptismum etiam hodie viget penes Orientales fere universos (4).

Praeterea, cum olim in Ecclesia latina (ut alicubi usus adhuc viget in Ecclesia orientali) puerulis ministrabatur sacra Communio, haec nonnisi post Confirmationem praeberi solebat; nempe infantes prius Baptismum, dein Confirmationem, postea sanctissimam Eucharistiam recipiebant.

Rituale Rom. (5) huiusmodi ordinem servandum praescribit ubi agitur de adultorum Baptismo. « Si adsit Episcopus, ait, qui id legitime praestare possit, ab eo neophiti sacramento Confirmationis initiantur; *deinde,* si hora congrua fuerit, celebratur Missa, cui neophyti intersunt, et sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt ».

3. De hac re quaedam prostant documenta S. Sedis.

S. Congregatio Concilii, 10 martii 1854, ad Episcopum S. Dionysii ita rescribendum censuit: « Cum longe minor aetas pro admittendis ad sacramentum confirmationis requiratur, quam pro admittendis ad primam Communionem... reformari Tibi proponitur

---

(1) *Epist.* 73, n. 9.

(2) *De Synod. dioec.* lib. VII, cap. 10, n. 3.

(3) Cfr. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* lib. I, cap. 2, art. 1, n. 3; *Dictionnaire de théologie,* v. *Confirmation,* col. 1101; FINELLI, *Tractatus de confirmatione,* n. 65, ss.

(4) Cfr. CAPPELLO, *Ius Ecclesiae latinae cum iure Ecclesiae orientalis comparatum,* p. 8 s.

(5) Lit. II, cap. 4, n. 51.

iuxta allatam doctrinam art. 22, p. 29 (in Actis Synodalibus), ita ut *prius* locus sit confirmationi, *postea* vero, opportuno tempore, primae Communioni suppeditandae » (1).

Leo XIII, in Litteris ad Episcopum Massiliensem die 22 iun. 1897 datis, laudat et approbat eiusdem Antistitis propositum Confirmationem primae Communioni praemittendi. En verba : « Abrogata, quae toto fere saeculo inoleverat, consuetudine, visum Tibi est in mores dioecesis tuae inducere ut pueri, *antequam divino Eucharistiae epulo reficiantur,* christianum Confirmationis sacramentum, almo inuncti chrismate, suscipiant. Quod utrum Nobis probetur significari Tibi desiderasti : placuit autem de re tam praecipua, medio nemine, ad te praescribere et qua simus mente aperire. *Propositum igitur tuum laudamus cummaxime.* Quae enim ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constantique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quae, nisi *maturrime* eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in praeceps trahunt. Quamobrem opus habent fideles, vel a teneris, *indui virtute ex alto,* quam sacramentum confirmationis gignere natum est.... Porro sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque *postmodum* Eucharistiae aptiores, atque ex ea uberiora capiunt emolumenta. — Quare quae a Te sapienter sunt constituta optamus *ut fideliter perpetuoque* serventur » (2).

4. Praefato ordini inter sacramenta existenti aegre accommodari videtur, aiunt quidam, disciplina recens inducta circa aetatem primae Communionis. Nam, iuxta decretum « *Quam singulari* », S. C. de Sacram.

(1) *Collect. S. C. de Prop. Fide.* I, n. 1105.
(2) Acta Leonis XIII, vol. XVII, p. 205.

8 aug. 1910, « aetas discretionis tum ad confessionem tum ad Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et Communionis » (n. I). Quae disciplina a Codice confirmatur (can. 854 et 859). Igitur, concludunt nonnulli, minor aetas postulari videtur pro prima Communione, quam pro confirmatione suscipienda. Quod falsum est.

Imprimis animadvertendum, doctrinam in decreto « *Quam singulari* » et in Codice (can. 854 et 859) traditam, non esse novam, proprie et accurate loquendo, ideoque immerito quosdam auctores loqui de « *nova* doctrina », de « *mutata* Ecclesiae latinae disciplina », de « *nova* disciplina a Pio X introducta ». Sane Conc. Lat. IV (an. 1215), in celebri can. 21°, docet omnem utriusque sexus fidelem « postquam *ad annos discretionis* pervenerit », ligari praecepto confessionis et Communionis. Item Conc. Trid. (Sess. XXI, de Communione, can. 4) anathemate plectit eum qui negaverit omnes et singulos Christifideles « quum *ad annos discretionis* pervenerint », teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum.

Verum est, in hac *rationis* seu *discretionis* aetate statuenda haud paucos errores atque abusus decursu temporis inductos fuisse. At profecto contra doctrinam et mentem Ecclesiae. Quid praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum senserint, probe scimus. Summae auctoritatis est testimonium Doctoris Angelici, qui ait: « Quando iam pueri incipiunt *aliqualem usum rationis* habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti (Eucharistiae), tunc potest eis hoc sacramentum conferri » (1).

Concilium Romanum sub BENEDICTO XIII celebra-

(1) *Summ. theol.* III, q. 80, art. 9, ad 3.

tum, ut alia testimonia complura omittamus, docet obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, *ad illam videlicet aetatem in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum... a pane communi et profano,* et sciunt accedere cum debita pietate ac religione » (1).

Quibus praemissis, dicendum, falso affirmari minorem aetatem hodie requiri pro prima Communione, quam pro confirmatione suscipienda. Codex in hac re nullam induxit immutationem, imo expressis verbis veterem disciplinam confirmavit.

Can. 788 statuit: Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur *ad septimum circiter aetatis annum,* nihilominus etiam *antea* conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur ». Verba « *ad septimum circiter aetatis annum* » denotant usum rationis seu discretionis aetatem. Nam ex can. 88, § 3, puer, post septennium, praesumitur habere usum rationis. Additur autem vox « *circiter* », ut perspicue significetur huiusmodi terminum non esse absolute et quasi taxative accipiendum, sed moraliter, nempe *sive supra sive,* post adeptum usum rationis, *etiam infra septennium.* Imo textus citati can. 788, attentis documentis Sedis Apostolicae sive fontibus e quibus depromptus fuit, ita intelligendus est ad normam can. 6, 2°, ut septennium indicetur tamquam terminus qui convenienter et regulariter non excedatur. Sane, iuxta Ecclesiae latinae disciplinam iampridem inductam, attenditur, ubi de sacramento confirmationis suscipiendo agitur, *usus rationis,* ideoque ad illud *ordinarie* non admittuntur qui ad aetatem discretionis nondum pervenerint. Unde *Catechis-*

(1) *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Comunione.* Append. XXX, p. 11.

mus Romanus rationem theologicam in favorem disciplinae in Ecclesia latina vigentis hisce verbis enuntiat: « Neque enim confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset; ad quod sane pugnae genus pueros, *qui adhuc usu rationis carent,* nemo aptos esse iudicarit » (1).

BENEDICTUS XIV praefatam discliplinam Ecclesiae latinae ita clare breviterque exponit: « Subsequenti aetate congruentius visum est, expectare ut confirmandus *rationis usum adeptus fuerit* » (2).

Accedunt aliae animadversiones maximi momenti. Post adeptum rationis usum, puer gravi obligatione obstringitur satisfaciendi praecepto Communionis; dum e contra de obligatione, praesertim gravi, suscipiendi Confirmationem, nullatenus constat, nisi adsit forte alius titulus (3).

Praeterea longe mitior est lex ecclesiastica quoad confirmationem, quam quoad Communionem: non eaedem enim sunt rationes, ex. gr. reverentiae et pietatis, quae pro illa, ac quae pro ista valent. Hinc est quod can. 788 expresse dicit sacramentum Confirmationis ante septennium i. e. ante usum rationis conferri posse, « si infans in periculo mortis sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur »; dum sanctissima Eucharistia ne in mortis quidem periculo potest infantibus ministrari.

5. Itaque concludendum: 1^0 Codex nullam induxit immutationem circa aetatem confirmationis, ideoque, ut antea, maior aetas pro illa, quam pro Communione suscipienda, minime requiritur; 2^0 nullum est peccatum

---

(1) *De Confirmatione*, n. 18.

(2) *De Synodo dioec.*, lib. VII, cap. 10, n. 3.

(3) Cfr. S. THOM. III, q. 65, art. 4; q. 72, art. 1, ad 3, ed art. 8, ad 4; SUAREZ, in P. III, q. 72, disp. 38, sect. 2; S. Alph. lib. VI, n. 181; D' ANNIBALE, III, n, 283; BALL.-PALM., *Opus theol.* IV, n. 804; CAPPELLO, *De sacramentis*, I, n. 211.

si puer ad sacram Synaxim prius accedat, postea vero Confirmationis sacramentum suscipiat; 3° Episcopus lege aut praecepto generali statuere nequit, ut Confirmatio iis dumtaxat pueris ministretur, qui ad primam Communionem iam admissi fuerint; 4° nihil obstat quominus Confirmatio et prima Communio fere eodem tempore seu aut immediate aut paulo post pueris ministretur: imo valde optandum, ut, pro locorum ac temporum personarumque adiunctis, id fiat.

II.

An Episcopus praecipere valeat, ut Confirmationi sacramentalis confessio et naturale ieiunium praemittatur.

1. Omnes norunt, ex iure communi praeceptum stricte dictum de confessione sacramentali Confirmationi praemittenda, non existere, ne pro iis quidem qui lethalis peccati conscii sint, cum hisce perfecte conteri sufficiat. Unde *Pontificale Romanum* (1) ait: « Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari; *vel saltem de mortalibus,* si in ea inciderint, *conterantur* ».

Catechismus Romanus haec habet: « Ex his efficitur, ut qui adulta iam aetate confirmandi sunt... *graviora etiam peccata,* quae admiserunt, *ex animo dolere oporteat.* Qua in re elaborandum est, *ut peccata etiam prius confiteantur* » (2).

Instructio *S. C. de Prop. Fide,* 4 maii 1774, dicit: « Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo *conveniens valde est,* ut illius susceptioni praemittant sacramentalem confessionem ».

Ex his duo manifeste eruuntur: ex una parte

(1) Pars I. *De confirmandis.*
(2) *De Confirmatione,* n. 19.

nullam dari veram et proprie dictam obligationem praemittendi Confirmationi sacramentalem confessionem, ex alia congruentius optandumque esse, ut confirmandi statum gratiae sibi acquirant per sacramentum poenitentiae.

Quare Episcopus potest, imo debet vehementer adhortari pueros, parochos, parentes et tutores, qui curam illorum gerunt, ut Confirmationi sacramentalis confessio praemittatur ; at verum praeceptum generale de hac re imponere nequit. In hunc sensum intelligi debent statuta synodalia et praescripta a Conciliis provincialibus vel plenariis lata, quae, licet sub poena peccati praesertim gravis confessionem sacramentalem confirmandis adultis non imponant, nihilominus ea fideliter religioseque esse servanda palam est.

2. Ad *ieiunium naturale* quod attinet, *Catechismus Romanus* (l. c.) ait : « Qua in re elaborandum est, ut... pastorum cohortatione ad *ieiunia* et alia pietatis opera suscipienda incitentur (confirmandi), admoneanturque *laudabilem illam antiquae Ecclesiae consuetudinem renovandam esse, ut nonnisi ieiuni hoc sacramentum susciperent* ».

Instructio *S. C. de Prop. Fide*, 4 maii 1774, ita monet : « Iuxta veterem Ecclesiae usum, *confirmandi deberent esse ieiuni,* optandumque propterea esset ut id ipsum in praesenti etiam servaretur ».

Etiam *Pontificale Romanum* (l. c.) dicit : « *Confirmandi deberent esse ieiuni* ». Codex silet.

Nullum existit praeceptum, ut manifestum est, quod confirmandus ieiunus sit ; imo vetus consuetudo ubique fere locorum obsolevit. Propterea Episcopus non posset huiusmodi usum iamdiu obsoletum in pristinum vigorem revocare eumque confirmandis stricte i. e. sub poena peccati servandum iubere. Optime servari posset praefata consuetudo, quando confirmatio *mane* conferatur ; alicubi de facto servari solet in institutis et

collegiis, cum sollemnis Communionis occasione confirmatio ministratur.

III.

An infans latinus, qui, deficiente sacerdote proprii ritus, baptizatur a presbytero graeco, Confirmationem et Eucharistiam recipere valeat.

1. Nefas est presbyteris ritus orientalis conferre una cum baptismo confirmationem infantibus latinorum. *S. Congregatio S. Officii* in Instructione an. 1782 (sine die et mense) ad Episcopum Scepusiensem data, ita rescripsit: « Egregie actum est quod parochis ruthenis omnino prohibueris ne, si quandoque contingat latinorum infantes ab ipsis baptizari, sacramentum quoque confirmationis more graecorum post baptismum administrent » (1).

S. Congreg. De Prop. Fide interrogata « se i sacerdoti orientali autorizzati ad amministrare il battesimo ai bambini di rito latino, possano contemporaneamente amministrare loro anche la cresima », die 5 iulii 1886, ad I, respondendum censuit: « *Negative*, et ad mentem. Mens est quod *cum saepe et gravissime id a S. Sede vetitum sit*, moneantur Episcopi orientales ut et ipsi sacerdotes suos ab huiusmodi administratione *omnino prohibita* deterreant » (2).

Vetitum urget sub gravi. Confirmatio in praefato casu collata contra legem ecclesiasticam, estne *illicita* tantum, an etiam *invalida?* Attentis responsis a S. Sede datis, res est dubia. Nobis, omnibus mature perpensis, *valida* videtur.

Sequens dubium propositum fuit: « Qualora un sacerdote orientale abbia amministrato ad un bambino

(1) *Collect. S. C. de Prop. Fide*, II, n. 552.
(2) *Collect. S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1660.

latino battesimo e cresima contemporaneamente, deve la cresima reiterarsi *absolute* o *conditionate,* o non reiterarsi ». *S. Congreg. de Prop. Fide,* 5 iul. 1886, ad 2, rescripsit: « Detur decretum Supremae Inquisitionis diei 14 ianuarii 1885 ». Quod ita se habet: « Non expedire ut confirmati, de quibus in casu, iterum ab Episcopo inungantur, nisi ad tonsuram et ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant... quibus in casibus confirmationis sacramentum *secreto* conferatur et *sub conditione* » (1).

Praeterea interrogata *S. Congreg. de Prop. Fide:* « Ove si dubiti del fatto, se cioè un bambino latino battezzato dal sacerdote orientale, sia stato dal medesimo anche cresimato, deve starsi alla presunzione affermativa, o si deve reiterare la cresima sotto condizione »; die 5 iul. 1886, ad 3, rescripsit: « Recurratur in casibus particularibus expositis omnibus ad rem facientibus » (2).

Codex nullam de hac re mutationem induxit, ideoque omnem vim adhuc retinent praedictae praescriptiones.

2. Quod diximus de confirmatione, dicendum quoque est de sanctissima Eucharistia. Scil. puero, qui baptizatur a graeco presbytero, ministrari nequit Communio immediate post baptismum. Quaestio non respicit graecos-italos, qui ex Benedicti XIV Const. « *Etsi pastoralis* », 26 maii 1742, § 2, n. 7, prohibentur « Eucharistiae sacramentum sub una vel sub utraque specie infantibus rationis usu carentibus in baptismo » ministrare, nec ceteros orientales, ex. gr. syros, coptos, armenos, maronitas etc., apud quos sive lege scripta sive iure consuetudinario praefatus usus penitus obsolevit (3): quaestio eos dumtaxat respicit

(1) *Collect.* II, nn. 1630, 1660.
(2) *Collect.* II, n. 1660.
(3) Cfr. Synod. Syror. cap. V, art. 4, § 5; Synod. MAronit., part. II,

presbyteros, qui ritum graecum purum sequuntur, cum penes illos tantum adhuc vigeat disciplina, hodie tamen valde remissa, ministrandi Eucharistiam infantibus (1).

Quidam affirmant Communionem in casu licite ministrari posse. « Ex facultate, aiunt, a Pio X facta Const. « *Tradita ab antiquis* », 14 sept. 1912, et in Codice confirmata (can. 866, § 1), omnes fideles sacramentum Eucharistiae iuxta quemlibet ritum suscipere valent; atqui ritus in Ecclesia graeca vigens is est, ut sacra Communio ministretur etiam infantibus; ergo iure adserendum videtur, infantes latinos ritu graecorum baptizatos recipere posse Eucharistiam » (2). Immerito plane id affirmatur.

Facultas, de qua in Const. « *Tradita ab antiquis* » Pii X et in can. 866, § 1, ea est, ut omnes fideles cuiusvis ritus, pietatis causa, sacramentum Eucharisticum « *quolibet ritu confectum* » suscipere valeant. At eatenus fideles latini possunt sacramentum Eucharistiae « quolibet ritu confectum » recipere, quatenus debitas animi et corporis dispositiones praeseferant, seu Codicis praescripta de Communione sancte ac religiose servent. Porro, inter haec praescripta, sollemne illud est: « Pueris, qui propter aetatis imbecilitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, *Eucharistia ne ministretur* » (can. 854, § 1). Imo ne urgente quidem periculo mortis, licet infantibus latinis sacramentum Eucharisticum praebere. Sane « in periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia ministrari *possit* ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare » (can. 854, § 2).

---

cap. 12, n. 13; Synod. Copt. Aegypt., sect. II, cap. 3, part. I, art. 8; Synod. Ruth. an. 1720, art. 3, § 3, etc.

(1) Cfr. CAPPELLO, *Ius Ecclesiae latinae cum iure Ecclesiae orientalis comparatum*, p. 10.

(2) GILSMANN, *Institutiones canonico-theologicae*, p. 253.

Igitur falsa dicenda est opinio, quae asserit infantes latinos ritu graecorum baptizatos divinis epulis refici posse.

IV.

An et quomodo iudicium de sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem, quod confessario et parentibus tribuitur, conciliari possit cum iure et officio parochi.

1. Can. 854, § 4 dicit: « De sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt ».

Nihil novi hisce verbis statuitur vel enuntiatur. Sane decretum « *Quam singulari* », 8 aug. 1910, n. IV, haec habet: « Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem ».

Verba *Catechismi Romani* haec sunt: « Qua aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant » (1).

Igitur confessario et parentibus ius et officium profecto competit, cum ipsi diudicare debeant de sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem.

At idem can. 854, § 5 statuit praeterea: « Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si

(1) *De sacram. Eucharistiae*, n. 63.

opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione.... ».

2. Nonnulli censent vix componi posse huiusmodi officium parochi cum iure et officio confessarii et parentum. Alii latius extendunt munus parochi, ita ut affirment ius admittendi pueros ad primam Communionem illi exclusive competere seu *absque eius venia et assensu* pueros nullatenus accedere posse ad sacram Synaxim. Ita v. g. GREGORI (1), qui ait: « A mio giudizio, se il parroco deve essere avvertito dell' intenzione dei genitori, o di chi per essi, di far comunicare il fanciullo, e ciò perchè egli ha il dovere di vigilare a che sia ben disposto, è chiaro che in questo almeno, *si richiede il suo consenso*. Il parroco... può opporsi che altri ammettano il fanciullo alla sacra Mensa senza il suo *nulla osta*... In conclusione, il fanciullo non può essere ritenuto idoneo alla Comunione, sia per sufficiente uso della ragione, sia per sufficienti disposizioni di mente e di volontà, *se tale giudizio,* — da chiunque sia emesso, — *non è ratificato dal parroco* ».

Haec omnia, debita cum reverentia sit dictum, *gratis* asseruntur seu absque ullo fundamento, quia nullibi Codex statuit parochum esse *praevie monendum,* eius *veniam* et *consensum requiri, iudicium confessarii* et *parentum* de sufficienti puerorum dispositione *esse nullius valoris, nisi accedat ratihabitio et confirmatio parochi.*

3. Parochus, cum sit pastor animarum, tenetur vi ipsius officii sedulo advigilare ne puritas fidei et morum damnum patiatur, ne leges ecclesiasticae violentur, ne abusus irrepant, etc. Eodem officio *advigilandi* obstringitur Episcopus (cfr. can. 336, § 2) quoad

(1) *Perfice munus*, 1926, p. 391.

universam dioecesim. Agitur de *inspectione* seu *vigilantia generali,* quae ex ipsa rei natura sive ex munere sponte profluit. Huiusmodi vigilantia, utpote *generalis,* nequaquam confundenda est cum *speciali.* Illa universim ac indeterminate investigat et recte semper exercetur atque exercenda est; haec, contra, respicit casus particulares ac determinatas personas, et tunc solum legitime adhibetur, quando rationabilis causa suspicandi adest.

Parocho, quoad primam puerorum Communionem, competit inspectio seu vigilantia *generalis,* ut in ceteris omnibus quae ad curam animarum spectant; at ex can. 854, § 5 ipsi competit quoque inspectio seu vigilantia *specialis,* quatenus *in casibus particularibus,* si prudenter dubitet de usu rationis pueri vel de sufficienti dispositione, potest et debet *inquirere,* atque etiam in hunc finem puerum examini subiicere. Eatenus potest parochus *legitime* id facere, quatenus, ut modo dictum est, prudenter dubitet, nempe fundata *suspicio* vel *rationabilis praesumptio contraria* exsistat; secus illegitime ageret. Unde parochus non potest, ex. gr. repellere a Sacra Synaxi puerum, quem sufficienter dispositum existimaverint parentes optime instructi et pii, aut confessarius prudens et doctus.

Ferreres (1) merito ait: « Huic officio parochi *tunc* locus esse debet, *dum adsit prudens suspicio,* ne parentes vel confessarius prudenter hac in re se gerant ».

Quare nequit parochus primam puerorum Communionem conditioni praevii examinis generaliter subiicere; nec potest exigere quod parentes vel confessarii eius consensum praevie exquirant, aut saltem quod ipsum certiorem faciant. In praxi tamen valde expedit, ut parochus certior fiat de prima puerorum Communione, si commode id fieri possit.

---

(1) *Compendium theol. mor.* II, n. 423, q. 9.

Huc spectant quae egregie tradit VERMEERSCH (1): « Quaeri demum potest, quomodo, de dispositione puerorum, iudicium quod confessario et parentibus permittitur, cum officio vigilantiae parochorum componatur. Hac, ni fallimur, ratione. De *singulis* pueris parentes et confessarii iudicare possunt, *nec parochum monere vel consultum adire debent.* Simul generalis quaedam inspectio, quasi fori exterioris, parocho committitur observandi quinam pueri accedant vel communicare omittant. Tunc, si ex accedentibus quosdam imperitiae *suspectos* habeat, illos etiam per examen probare potest... Sed non possit parochus, hoc can. 854 fretus, primam puerorum Communionem in sua paroecia condicioni praevii examinis *generaliter* subordinare » (2).

F. M. CAPPELLO, S. I.

De extensione regulae:

« Remotior consanguinitatis gradus trahit ad se proximiorem »

Ad computandos consanguinitatis gradus in ordine ad matrimonium, tres usu introductae sunt regulae, quae iam temporibus S. Gregorii Magni, aut saltem Zachariae Papae in Ecclesiae iure agnoscebantur. Eas retinendas decrevit ALEXANDER II, anno 1065 (c. 2, C. XXXV, q. 5), speciatimque approbatas declaravit GREGORIUS IX (a. 1232), atque in Decretales introduxit.

Harum regularum prima tractat de modo computandi gradus in linea recta, secunda de computatione

(1) *Theol. mor.* III, n. 391.
(2) Cfr. CAPPELLO, *De Sacramentis*, I, n. 530, ed. 2a.

in linea collaterali aequali, tertia denique attendit gradus in linea collaterali inaequali. Quaestionem movemus de hac ultima, sic in hodierno Codice expressa (Can. 96, § 3): « In linea obliqua, si duo tractus sunt *inaequales*, tot gradus sunt quot generationes in tractu longiore ». Quod non est nisi codificatio principii ab auctoribus tum antiquis tum modernis usurpati: Remotior gradus trahit ad se propinquiorem.

Prima huiusmodi regulae canonizatio invenitur in Decretalibus Gregorii IX (c. 9, Lib. IV, t. 14): « Vir qui a stipite quarto gradu, et mulier quae ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam qua dicitur: Quoto gradu remotior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, licite possunt matrimonialiter copulari ». Quotiens ergo personae in linea collaterali consanguineae inaequaliter distant a communi stipite, eo gradu sunt inter se quo remotior distat. Sic patruus et nepos sunt in secundo gradu, patruus et pronepos in tertio.

Et si inquiratur cur talis regula statuta fuerit, et quam ob rem attendatur distantia gradus remotioris potius quam proximioris, sequens datur responsio: tota ratio propinquitatis aut distantiae collateralium ad invicem sumitur ex eo quod uniuntur in communi stipite; et ideo non possunt esse coniunctiores inter se quam cum illo stipite: porro essent coniunctiores si ad distantiam inter se computandam ratio haberetur gradus propinquioris et non remotioris.

Hucusque, tum in exemplis, tum in rationibus allatis, respectum habuimus graduum consanguinitatis tantum inter *duas personas* ex eodem stipite descendentes. — Quaestio autem moveri potest de *unica* persona quae ex eodem stipite duplici linea inaequali descendat. Quonam gradu dicenda est consanguinea cum suo auctore? An regula remotioris gradus proximiorem ad se trahentis in hoc casu applicetur? —

Sequens concretum exemplum liceat afferre: Paulus per patrem distat tertio gradu a Titio, quarto autem per matrem. Estne dicendus in tertio an in quarto gradu Titii consanguineus? Quaestio sat magni momenti apparet respectu impedimenti matrimonialis ac dispensationis petendae vel non; nam si quartus gradus solus attendendus est pro coniuge Paulo, impedimentum amplius non adest, etsi alter coniux sit consanguineus in gradu proximiori, nec proinde necessaria est dispensatio.

Similis quaestio tractata fuit in ephemeride « *Ami du Clergé* » (an. 1920, p. 313 ss.) circa impedimentum proveniens a consanguinitate secundi gradus ex una parte, et secundi gradus mixti cum tertio ex altera parte. Ipse cl. De Smet idem exemplum attulit *(De spons. et matrim.,* edit. 4ª, 1927, N⁰ 599 not. 4, p. 525), sed suam sententiam minime aperuit: notat tantum in casu a se allato plane sufficere dispensationem petitam super secundum gradum cum, vi canonis 1052, non noceat valori concessionis error circa gradum, dummodo gradus revera exsistens sit inferior.

At in casu quem proponimus responsio magis decisiva urget, nam Paulus est in tertio gradu mixto cum *quarto:* agitur ergo de petenda vel *non* petenda dispensatione; etenim, si Paulus censendus est in quarto gradu, nullum amplius exsistit impedimentum, et valet matrimonium absque dispensatione. An in hoc casu et in aliis similibus applicationem obtinebit regula: Remotior gradus trahit ad se proximiorem?

Auctor citati articuli in ephemeride « *Ami du Clergé* », si principia ab eo posita perspeximus, ad sententiam affirmativam inclinat. Videtur autem non satis distinguere tractus consanguinitatis inter *duas* personas gradu inaequali a communi stipite descendentes, et tractus pro *una* eademque persona quae duplici linea inaequali ab auctore descendit. Ob omis-

sam hanc distinctionem, nimis facile, nostro sensu, auctor principium remotioris gradus ab uno casu ad alterum applicat: at nodus difficultatis praecise in hoc transitu iacet.

Alii auctores quaestionem explicite non movent. Pauci tamen exempla usurpant ex quibus saltem dubium exsurgere potest. Ita DE SMET. (N⁰ 599 1ª hypoth., p. 524, edit. 4), VERMEERSCH-CREUSEN *(Epitome*, edit. altera, 1925, N⁰ 359, schema I, p. 210).

Quid re vera est sentiendum?

Primo aspectu, supradicta regula applicari posse videtur; etenim: *a)* Ecclesia, etsi obstet sua lege matrimoniis inter consanguineos, impedimentum tamen simulque causas nullitatis studet restringere, et ideo principium statuit gradus remotioris ad se propinquiorem trahentis. *b)* Apparet aliunde litteram hodierni Codicis non magis opponi applicationi huius principii casui unius personae quam casui duarum personarum, nam Can. 96 § 3 absolute dicit et non distinguit: « si duo tractus sunt inaequales, tot sunt gradus quot generationes in tractu longiore ». *c)* Denique spontanea responsio a pluribus data huic sententiae favet: remotior gradus in hoc casu est considerandus.

Attamen, quidquid in contrarium appareat, Paulus in *utroque* gradu, quarto scilicet et tertio, consanguineus relate ad Titium est dicendus, ita ut subsistat impedimentum, necessariaque sit petitio dispensationis. Huius affirmationis sequentes rationes afferri possunt:

1) Regula remotioris gradus non valet nisi quando inter se comparantur sponsus et sponsa, haec v. g. in tertio, ille in quarto gradu consanguinitatis, aut vice versa. Hoc clare apparet ex textu iuridico de quo sumptum est principium; caput enim supracitatum Decretalium expresse dicit: « Vir... *et* mulier... » (c. 9, L. IV, t. 14). Ipse allegatus canon Codicis non alium sensum habet, nam ex eodem fonte

excerptus est, ut patet ex adnotationibus. Si de discrepantia cum antiquo iure aliquod subsistat dubium, a veteri iure non est recedendum (C. 6, 4°). Non licet ergo nobis hanc regulam sine competentis auctoritatis interventu, transferre ad casum in quo computatio fit pro unica persona quae duplici via inaequali a suo auctore descendit.

2) *Ratio* huiusmodi regulae in nostro casu non applicatur: etenim, ut notavimus, haec regula introducta est ne duo sponsi dicerentur inter se coniunctiores quam unus eorum est stipiti communi propinquus. Atqui ista ratio in casu nullatenus valet, nam Paulus non comparatur cum alia persona sibi consanguinea, sed ipse consideratur in quantum inaequalibus tractibus distat a suo auctore.

3) Sufficit *una* via, ut plene definiatur consanguinitas alicuius personae. Si enim adsunt duae viae seu lineae per quas a communi stipite quis descendat, hae duae lineae concurrunt ad determinandam eius consanguinitatem, sed non sese elidunt.

Semel ac Paulus per patrem distat tertio gradu a Titio, eo ipso est consanguineus Titii in tertio gradu; nec idem Paulus fieri potest gradu remotior, quia per matrem ad eumdem Titium ascendit tractu longiore. Sin aliter, ad hanc absurdam deveniretur consequentiam, ut aliquis remotior fieret a stipite, duplici linea ad eum ascendendo, quam si unica via ascenderet.

Sic in nostro casu, Paulus dici deberet magis distare a Titio cum quo iungitur tertio et quarto gradu consanguinitatis, quam si tertio tantum gradu coniungeretur.

4) Alia ratio desumi potest ex modo computandi impedimenta consanguinitatis ante editum Codicem. Tunc multiplicabatur impedimentum quotiescumque duplici via ad stipit coemmmunem ascendi poterat.

Ergo utraque via concurrebat et attendebatur tum ad computandam consanguinitatem, tum ad constituendum impedimentum. Hodie, post publicatum Codicem, impedimentum multiplex ex hoc capite non amplius exsistit, sed remanet consanguinitas *ex utraque via,* ut antea. (Cfr. FOURNERET. *Le mariage chrétien,* 3ª éd., p. 208).

5) Confirmatio nostrae sententiae tandem sumi potest:

a) Ex silentio scriptorum seu auctorum qui de hoc casu nihil explicite dicunt: illud silentium, quod iam notavimus, quomodo interpretabimur, nisi hac ratione quod uterque gradus consanguinitatis attendendus sit, et non solus remotior? Si enim citatus casus exceptionem constituisset regulae generali, explicite indicassent dispensationem non esse necessariam.

b) Et re vera, exempla a quibusdam adducta pro computatione graduum consanguinitatis nostram confirmant interpretationem, supponuntque gradum propinquiorem semper attendi simul ac remotiorem. Ita DE SMET (l. c. n. 599) in sua prima hypothesi fingit casum Bernardi qui a stipite Antonio distet tertio gradu per Carolum et Petrum, et simul quarto gradu per Carolum, Elisabeth et Paulum. Si hic quartus gradus solus attenderemus, non amplius subsisteret prima consanguinitas ex stipite communi Antonio, nec proinde duplex impedimentum cum sponsa Rosa.

Idem exemplum invenitur, mutatis nominibus, in primo schemate quod proponunt cl. VERMEERSCH-CREUSEN (*Epitome,* edit. tertia, p. 210), qui eodem modo duplicem computant consanguinitatem *intra tertium gradum* inter Caium et Bertham.

Obici potest quod repugnat ut filius dicatur auctoris communis consanguineus eodem gradu atque eius parentes. Sit exemplum Ioannis et Marthae conjugum, qui ab auctore communi Titio respective

secundo et tertio gradu descendunt, et dispensationem in tertio gradu pro ipsorum matrimonio obtinuerunt: si Paulus, filius Ioannis et Marthae, dici deberet in tertio tantum gradu consanguineus cum Titio, eodem gradu esset relate ad Titium atque ipsius parentes.

Resp. Repugnat ut Paulus eiusdem gradus sit atque *uterque* parens, concedo; atque *alteruter,* ratione inaequalis gradus quo ipsi distant a stipite communi, nego. Paulus dicendus est Titii consanguineus *utroque* gradu, id est quarto per matrem et tertio per patrem; vere enim manet coniunctus in tertio gradu ad Titium independenter ab altero tractu. Quod si hic tertius gradus negligeretur, Paulus dicendus esset minorem habere parentelam cum Titio ex eo quod Ioannes pater sibi despondit Martham, Titii consanguineam, quam si Ioannes sibi despondisset aliam extraneam!.... Quod evidenter repugnat.

Conclusio. Ob allatas rationes sufficienter patet, ut putamus, regulam remotioris gradus applicationem non obtinere in casu *unius* eiusdemque personae, quae duplici tractu inaequali a suo auctore descendit. Unde dispensatio pro proximiore gradu est petenda, nam in isto gradu iacet strictior consanguinitas, contra quam militat lex ecclesiastica.

Attamen non ignoramus computationem graduum positivo iure esse determinatam, et consequenter ab Ecclesia in posterum mutari posse; sed haec mutatio hucusque non apparet. Pro momento, satis nobis sit quaestionem movisse, donec melior ac magis auctorizata exsurgat sententia.

ANDREAS BRIDE
Doctor S. Theol. et Iuris Can.

De concelebratione eucharistica

Concelebratio, si sensu latissimo intellegitur, omnem communem celebrationem significat qua plures clerici in ordinibus constituti unum eundemque sacrum ritum perficiunt, ita ut singuli eorum suo ordini et gradui conveniens munus in illo exerceant. In omni enim concelebratione liturgica, hierarchia aliqua observatur unusque est principalis actor, cui ceteri cooperantur. Ille proprie *celebrans,* hi *concelebrantes* vocantur (1). Hoc igitur sensu etiam fideles laici aliquatenus concelebrare possunt (2).

Nos tamen sensu multo pressiore verbum concelebrationis intellegemus. Non enim agemus nisi de concelebratione *eucharistica,* id est de illa quae in missa celebranda fieri potest. Immo in ista concelebratione eam tantummodo partem considerabimus quae presbyteris et episcopis reservata est.

Huius autem concelebrationis diversae rationes facile excogitantur. Etenim :

1⁰) potest esse vel *plena* vel *minus plena.* Plena erit, si concelebrantes in perficiendis ritibus ita cele-

Bibliographia. Historiam concelebrationis eucharistiae scripsit D. P. DE PUNIET, O. S. B., in D. A. L., III, *Concélébration liturgique*, 2470-2480. Ad calcem huius articuli referuntur praecipuae ex antiquioribus dissertationibus, quibus addenda esset brevis nota C. LUPI (*Synodorum generalium ac provincialium decreta et canones, Venetiis*, t. II, 1724, *Appendix ad Synodum Chalcedonensem,* pp. 289-290), quam laudat BENEDICTUS XIV (*Bullarium*, Prati, 1847, t. III, p. 269), nisi illa insufficientibus auctoritatibus niteretur. De concelebratione in ritu byzantino agit D. PL. DE MEESTER O. S. B. in *Ephemeridibus Liturgicis*, XXXVII, 147-154.

(1) Talis est usus dicendi in lingua graeca, ut e testimoniis postea referendis liquebit. Graece enim *συλλειτούργοι* illi sunt qui principali celebranti cooperantur.

(2) Cfr. S. GREGORIUS MAGNUS, *Epist.* lib. IV, ep. 18 Ad Maurum abbatem (PL 77, 687). Quoniam vero ecclesiam sancti Pancratii, quae erat commissa presbyteris, frequenter neglectum habuisse cognovimus, ita ut venientes Dominico die populi missarum solemnia *celebraturi,* non invento presbytero, murmurantes redirent.... GUSSANVILLE in sua editione et alii post eum editores contra fidem omnium manuscriptorum verbo *celebraturi* vocem *audituri* substituerant.

branti consociantur ut cum eo ipsa sacramentalia seu consecratoria verba pronuncient. Quare eam *sacramentalem*, quoque vocare possimus. Minus plena erit concelebratio in qua, silentibus hoc tempore concelebranibus, solus principalis celebrans verba consecrationis panis et vini recitat. Qua de causa non male etiam *caerimonialis* appellaretur.

Ex his definitionibus liquet, ni fallimur, nos in praesentia non effectum alterutrius concelebrationis considerare sed solum illorum ritum. Non ergo negamus sed neque asserimus concelebrantes, cum verba sacramentalia pronunciant, re vera panem et vinum ipsos per se consecrare; et rursus non asserimus quidem sed neque negamus in minus plena concelebratione posse concelebrantes cum celebrante simili efficacitate consecrare. Quam rationem constanter tenebimus, etiam si quando brevitatis causa aliter dicere videbimur ideoque consecrare panem et vinum idem nobis erit atque verba consecrationis in panem et vinum recitare. Inter conclusiones tamen nostrae disquisitionis de hac quoque re statuemus quid aestimandum sit.

2⁰) Est et alia in concelebrationis modo diversitas. Nam plenior concelebratio potest vel ita peragi ut omnes celebrantes in unum eundemque panem (vel in unos eosdemque panes), atque in unum eundemque calicem simul verba consecrationis dicant vel ita ut singuli in suum panem (vel in suos panes) atque in suum calicem id faciant. Haec tamen ratio, quamquam in quibusdam ecclesiis usurpatur, non est vera concelebratio sed simultanea plurium missarum (non sacrificiorum tantum) celebratio, praesertim si ea, ut fit, in pluribus altaribus agitur (3). Itaque hunc celebrandi modum e sensu verbi concelebrationis in sequenti dissertatione exclusimus. Ad priorem autem ex his

(3) Diversi concelebrationis ritus postea exponendi erunt.

ultimis concelebrationis rationibus non interest utrum panes, si plures consecrentur, omnes coram solo principali celebrante ponantur, ut hodie fit, an, secundum antiquiorem morem, inter omnes celebrantes dividantur. Satis est ut omnium sit celebrantium voluntas verba sacramentalia ad omnes panes extendendi.

Concelebrationi in ritu latino (4) usurpandae certe non favet Codex iuris (5):

> Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis episcoporum secundum Pontificale Romanum.

Ex ipso interdictionis rigore et duabus notatis exceptionibus liquet in hoc canone agi de concelebratione plena seu sacramentali. Altera vero hic non interdicitur.

Non est tamen (quod quis facile putaverit) omnino in ritu latino ignota. Etenim mos est etiam hodie ut in benedictione abbatis, sive haec Apostolica sive Ordinarii auctoritate fiat, ut post recitatum offertorium et oblata solita dona, novus abbas cum episcopo reliquas missae preces legat, omissis tantum consecrationis verbis. De qua concelebratione postea enucleatius disseremus.

Verbum autem *sacerdotibus* intellegendum videtur non solum de presbyteris sed etiam de episcopis; secus altera exceptio de consecratione episcopi hic nominanda non fuisset.

Canonis 803 praecipuus fons est sequens locus e Brevi *Allatae sunt* a BENEDICTO XIV, die 27 iulii 1755, ad Missionarios per Orientem deputatos directo,

---

(4) Lectori notum est Codicem unamrespicere Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligare, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt (C. 1); praeterea Codicem plerumque nihil decernere de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris ritibus peragendis; adeoque omnes liturgicas leges vim suam retinere, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur (C. 2).

(5) C. 803.

quo in loco tota mens ecclesiae romanae de concelebrationis historia et legitimo usu exponitur (6):

Communis olim fuit Occidentis aeque, ac Orientali Ecclesiae Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missae Sacrificium offerrent... Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione Sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit, vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio Sacerdote, qui primi celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones, quae Apostolicae nuncupantur *lib.* 8, et ad Canonem octavum, ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicumque ea consuetudo inter Graecos et Orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex..... Constitutione nostra..... *Demandatam*, § 9.

In allegato autem Brevis *Demandatam* (24 decembris 1743, Ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum eique subditos Episcopos) loco haec de concelebratione statuta leguntur (7):

Permittimus..... iuxta Decretum latum die 31 Martii 1729 ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint. Si autem altarium numerus Celebrantium et Offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi huiusmodi consuetudo viget, super eodem altari una cum Episcopo, vel alio Sacerdote Sacrificium peragente concelebrare; ita tamen, ut sacris vestibus more Celebrantium induti, unusquisque totam liturgiam integre recitet, et verba Consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent.

De validitate plenae seu sacramentalis concelebrationis primum (quantum novimus) s. THOMAS (8) et plures post eum theologi quaestionem moverunt (9).

---

(6) § 38 (BENEDICTI XIV *Bullarium*, Prati, 1847, t. III, p. 268.
(7) BENEDICTI XIV *Bullarium*, t. I, p. 331.
(8) *Summa theologica*, IIIa, q. 82, a. 2.
(9) V. M. DE LA TAILLE S. I., *Mysterium Fidei*, 2a edit., pp. 354-356.

Et re vera non statim apparet quomodo plures sacerdotes simul verba sacramentalia in unum eundemque panem atque in unum eundemque calicem proferentes possint omnes et singuli *efficienter* consecrare. Ita enim a quibusdam obicitur: Panis vel calix qui ab uno consecratus est ceteris consecrationis incapax fit, adeoque ille solus qui vel brevissimo temporis spatio ante ceteros formulam absolverit efficienter consecrabit. Sed etiam si fieri posset ut omnes celebrantes eodem omnino temporis puncto verba consecrationis absolverent, nonne tamen concelebratio res vana et absurda est? Nam, ut ait s. THOMAS, quod potest fieri per unum, superflue fit per multos (10).

Inde est quod plures aestimaverunt concelebrantes non habere singulos ius missae stipendium percipiendi.

Hanc quaestionem nos omnino praeteribimus, non quod liturgicae non sit eam solvere, sed quia in hac dissertatione de solo *facto*, quod dicitur, investigare volumus.

Non enim desunt qui mirentur Codicis severitatem in vetanda sacramentali concelebratione extra occasionem ordinationum, quasi hac prohibitione quodammodo condemnetur nobilissima quaedam consuetudo omnium ecclesiarum occidentis et orientis olim communis et cum ipsa antiquae Ecclesiae constitutione strictissimo ligamine connexa. Et e contrario aliquis possit apud se quaerere qua tandem de causa talis concelebratio in ordinationibus agenda a prohibitione exempta sit, et num fortasse mos in ordinationibus sacramentaliter concelebrandi altiore antiquitate aut frequentiore usu commendetur.

Nostrum igitur consilium est istarum opinionum veritatem exquirere, dubia vero quantum potuerimus

---

(10) *Summa theologica*, l. c.

solvere. Ut autem disquisitio nostra meliore ordine procedat eiusque conclusiones certius et distinctius definiri possint, eam in tres partes divisimus:

In **prima** de sacramentali concelebratione *in ordinationibus* agentes, quaeremus quaenam sit *hodie* ecclesiarum occidentis atque orientis in ea re consuetudo et quaenam fuerit *antiquitus* (11).

In **secunda** de eadem concelebratione *extra ordinationes* simili ratione investigabimus.

In **tertia** denique *naturam missae* eiusque *rituum* penitius rimantes, exquiremus utrum plena seu sacramentalis concelebratio fuerit necne *prima* liturgiam *celebrandi ratio,* aliasque quaestiones eodem spectantes solvere conabimur.

I.

De sacramentali concelebratione in ordinationibus sacerdotalibus et episcopalibus consecrationibus.

I. *Usus hodiernus.*

1. *In ecclesiis latinis.* Omnibus ecclesiis latinis hodie communis est mos ut novi presbyteri, postquam potestatem missam celebrandi adepti sunt, simul cum episcopo missam inde ab oratione offertorii perficiant, una cum eo panem et calicem consecrantes.

Quod in ecclesia romana hoc modo fit (12): neosacerdotes, genibus in terra fixis, in plano coram altari consistunt ad idque numquam, nisi communionis faciendae causa, accedunt; cum episcopo quidem omnes omnino orationes recitant, nullum vero ritum perficiunt. Panes et calix in altari coram celebrante eoque solo remanent ibique consecrantur. Communio sub sola

(11) Cum usus, etiam perpetuus, alicuius concelebrationis liturgicae in omnibus ecclesiis primo adspectu manifestus sit, quaestio plerumque ad hoc reducetur utrum ista concelebratio sit plena seu sacramentalis an minus plena tantum seu caerimonialis.

(12) *Pontificale romanum*, p. I, De ordinatione presbyteri.

panis specie fit daturque more solito (13) a celebrante. Si soli novi sacerdotes communicant, nullus autem clericus inferioris ordinis nullusque laicus, *Confiteor* non recitatur. Cuius rei causa affertur in Pontificali quod novi sacerdotes cum episcopo concelebrant (14).

Ista celebrandi ratio certo aliquid miri habet. Non enim facile intellegitur cur qui in ritibus partem prorsus nullam habent, formulas tamen orationum recitare iubeantur (v. g. cur cum manus in missa non lavent, psalmum *Lavabo* dicere debeant); cur omnes celebrantes simul populum salutent (*Dominus vobiscum*), cum hic unum tantum e celebrantibus resalutare videatur (*Et cum spiritu tuo*). Ceterum quid sibi velit et ad quem dirigatur ista salutatio, demissa voce dicenda, non statim liquet. Nam vel debent singuli concelebrantes per se ipsi populum salutare, et tunc id eodem modo eademque voce facere debent atque principalis celebrans ; vel satis est ut per principalem celebrantem fideles salutent, et tunc superfluum est ut verba ipsi proferant sed sufficit ut principali celebranti aliquo modo in missa celebranda consocientur. Nonne praeterea ipse concelebrantium situs parum convenire videtur nobilissimo muneri quo tunc primum funguntur?

Haec non diximus quod existimare auderemus quidquam esse carpendum in sanctissimis ecclesiae ritibus, sed ut notata haec levia minus inter se cohaerentia nobis demonstrent ritum concelebrationis, in sacerdotum ordinationibus hodie observatum, valde antiquum esse non posse vel saltem primitivae puritatis aliquid iam amisisse. Quam assertionem facta quae referemus plene comprobabunt. Nullum enim in antiquitate exemplum reperire est alicuius concelebrationis in qua omnes omnino preces a concelebrantibus

(13) Nisi tamen quod post formulam *Corpus Domini nostri, etc*, verbum *Amen* ab ipsis communicantibus dicitur.

(14) *Pontificale romanum*, l. c.

dicendae erant, nullum concelebrationis in qua concelebrantes a longinquo panem et calicem consecrarent, quos vix conspicere potuissent.

Sicut in ordinatione sacerdotum, ita etiam in consecratione episcopi plena concelebratio fieri solet. In hac enim altera missae pars a consecratione et consecrato simul celebrantibus perficitur. Quae consuetudo rursus omnium ecclesiarum latinarum communem esse putamus. In Pontificali romano huius concelebrationis ritus ita describitur (15).

Postquam a consecrato solita dona accepit, consecrator, manibus ablutis, ad altare accedit. Consecratus vero pariter ad illud accedens ad extremum cornu dexterum, id est epistolae, se sistit, medius inter duos episcopos assistentes, propriumque habens missale. Ita stans simul cum consecratore omnia facit et dicit ut sunt in missali notata, id est una cum eo totam missam perficit, non exclusa ipsa eucharistica consecratione. Unus autem idemque panis in patena positus est ab utroque consecrandus et in communione sumendus; vinique in calicem tantum est infusum quantum ad eorum communionem opus est. Panis tamen et calix in medio altari siti sunt et a solo episcopo consecratore elevantur. Illius quoque est panem frangere particulamque in calicem immittere.

Etsi semper propria diei missa adhibetur, addi tamen possunt sub una conclusione cum secreta et postcommunione diei altera secreta et altera postcommunio, atque in ipsa oratione *Hanc igitur*, ut aliis quoque diebus fieri solet, quaedam verba inserta sunt.

In ista autem addititia secreta, ubi consecrator dicit: « *Suscipe, Domine, munera quae tibi offerimus pro hoc famulo tuo* (id est episcopo recens consecrato) *et propitius in eo tua dona custodi* », consecratus orat:

---

(15) *Pontificale romanum*, p. I, De consecratione electi in episcopum.

« *Suscipe, Domine, munera quae tibi offerimus pro me famulo tuo et propitius in me tua dona custodias.* Similiter fit in oratione *Hanc igitur,* in qua pro verbis a consecratore dicendis: « *Quam tibi offerimus, etiam pro* hoc *famulo tuo* », consecratus haec recitat: « *Quam tibi offerimus, etiam pro* me *famulo tuo* ». In postcommunione autem nulla est mutatio facienda.

Communio hoc modo fit. Postquam consecrator alteram partem panis sumpsit et dimidiam circiter partem sanguinis cum particula in calicem secundum morem immissa, primum alteram partem hostiae episcopo consecrato stanti tradit deinde ei quidquid sanguinis superest bibendum praebet. Uterque tunc se purificat, sed solus consecrator digitos abluit (quia solus hostiam tetigit), purificationemque bibit.

Reliquam missae partem consecrator in cornu epistolae, consecratus in cornu evangelii perficit.

Quis primo adspectu non videt in hac concelebratione ritus atque omnes preces multo aptius rerum et personarum conditioni accommodatas esse quam in altera, ordinandorum ?

2. *In ritibus orientalibus.* In ritibus orientalibus (16) e contrario, si ritum byzantinum excipias, concelebratio quaelibet post ordinationem sacerdotum saepius ignota esse videtur. Ritus enim plerique quos nonnumquam novus sacerdos perficere in libris liurgicis iubetur, vel ad missam non pertinent, vel omnino secundarii sunt: v. g. ecclesiae thurificatio. In quibusdam tamen ritualibus praescribitur ut sibi ipse com-

---

(16) Ritus orientales sunt: ritus Byzantinus (apud Graecos, Melchitas Syriae et Aegypti, Slavos, Rumenos, Georgianos et Albanenses, plurimis linguis celebratus), ritus Armenus (lingua armena antiqua), ritus Syrus occidentalis seu Antiochenus (syriace et arabice), ritus Syrus orientalis seu Chaldaeus (in Mesopotamia et inter Malabaros, syriace), ritus Syrus Maroniticus (syriace et arabice), ritus Copticus (coptice et arabice), ritus Abyssinus (lingua aethiopica antiqua). Qui plura de ritibus et ecclesiis orientalibus cognoscere vult adire potest praeclarum libellum P. R. JANIN, *Les Eglises orientales et les Rites orientaux*, 2a edit., (1926).

munionem sumat vel communionem fidelibus distribuat; quae res iam aliquam concelebrationis rationem in se habent (17). Nihilominus certe deest semper omnis plena seu sacramentalis concelebratio. Immo in omnibus ritibus syris occidentalibus, non excepto ritu maronitico, haec peragi omnino non posset, quoniam ipsa ordinatio in istis ritibus missae consecrationem necessario sequitur. Apud Nestorianos ordinatio sacerdotis fixum locum inter liturgiae ritus non habet et nonnumquam etiam sine ulla liturgia perficitur (18).

Simili prorsus modo se res habent quod ad consecrationem episcopi attinet (19).

In ritu vero byzantino consuetudo plane diversa est; in eo enim et post ordinationem sacerdotis (etiam si unus ordinatur ut communiter fit) et post consecrationem episcopi, semper plena seu sacramentalis peragitur concelebratio eucharistica.

En quomodo haec fieri solet in presbyteri ordinatione (20).

Statim post perfectam ordinationem et vestium impositionem, ordinatus episcopum et presbyteros osculatur et dein in locum suum abit ad altare, ubi ultimus post ceteros omnes presbyteros stans, omnes missae preces e libello quem manibus tenet, nullam earum omittendo, simul cum episcopo recitat.

Cum autem ad finem anaphorae seu canonis perventum est et episcopus haec epicleseos verba dicturus est: *ita ut fiant recipientibus*, accedit denuo novus presbyter ad episcopum ab eoque accipit unum e consecratis panibus usque ad communionem suis manibus

---

(17) Plerique ordines orientales in quibus describuntur ritus ordinationum impressi sunt apud H. DENZINGER, *Ritus Orientalium coptorum, syrorum et armenorum in administrandis sacramentis*, Wirceburgi, 1873-1874, t. II, pp. 1-363.

(18) DENZINGER, *o. c.*, I, 145; II, 262.

(19) DENZINGER, *o. c.*, II, 1-363 passim.

(20) *ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ ΤΟ ΜΕΓΑ*, Venetiis, 1863, p. 159. Ab euchologio graeco euchologia slava etc, quod ad ordinationum ritus spectat, vix differunt.

custodiendum. Quo facto ad locum suum revertitur. Ante ceteros omnes a manu episcopi communionem recipit. Eius denique est orationem gratiarum actionis, quae post ambonem dicitur, recitare. In euchologio tamen ista ordinati plena concelebratio non clare exprimitur. Notatur tantum hoc: *et recedens se sistit post Presbyteros, recitans e Libello (ἀναγινώσκων τὸ Κοντάκιον).* Cum autem iste libellus alius esse non possit atque euchologium quod liturgiae preces continet, neque definiantur preces quas ex eo recitare debet, concludere licet novum presbyterum liturgiae preces easque omnes recitare iuberi. Certe, ut diximus, talis est hodie usus.

Iam animadverterit lector in praecedenti descriptione, praeter concelebrationem ipsius novi presbyteri cum episcopo, mentionem fieri alterius alicuius concelebrationis, nimirum aliorum presbyterorum una cum episcopo et cum novo presbytero. Haec tamen non est ordinationum propria et propterea de ea hic plura dicere omittere possumus.

Sicut post sacerdotis ordinationem, ita etiam post consecrationem episcopi, ritus byzantinus subiungere solet sacramentalem concelebrationem. In hac novus episcopus cum episcopo consecratore et episcopis assistentibus atque aliis presbyteris concelebrat (21). Attamen neque huius concelebrationis explicita mentio est in euchologio, in quo tantummodo statuitur novum episcopum ante ceteros pacem optare post lectam epistolam (his verbis: *Pax tibi Lectori),* eumque primum e pretioso corpore et sanguine Christi percipere; eumque denique episcopo consecratori et ceteris omnibus communionem dare. Quae agendi ratio non solum aliqua minus plena concelebratio dicenda est sed in-

(21) *Euchologion,* p. 170.

super plenam seu sacramentalem concelebrationem fere necessario supponit. De ceterorum episcoporum et presbyterorum concelebratione, ut iam monuimus, non est quod hic dicamus.

(Continuabitur) I. M. HANSSENS, S. I.

De conscribendis Constitutionibus Congregationis votorum simplicium vel de iisdem ad Codicem aptandis. (Continuatur Cf. p. 41* ss. et 107* ss. supra).

Altera Pars. De variis personis quae ad Institutum pertinet.

5. *De admissione in religionem.*

Distinguenda est admissio ad postulatum, ad noviciatum, ad professionem temporariam, ad professionem perpetuam (ubi haec habetur).

I. *De Postulatu.* 1. In non paucis Constitutionibus novis, postulatus indicatur peragendus « ad sex *saltem* integros menses ». Verbalis ista exscriptio menti Codicis adversatur. Vox *saltem* enim in canonem 539 inseritur ut variae Constitutiones sinantur definire tempus congruum, quod tamen non sit infra sex menses. Iam ad Constitutiones spectat tempus istud absolute determinare. Sin aliter, quo pacto locus esse posset prorogationi quae « aliud semestre » excedere non potest?

Observes verba « aliud semestre » per se ad postulatum sex mensium referri. Sed Commissio prorogationem sex mensium sinit esse in arbitrio Superiorum, etiam si postulatus unius vel duorum annorum regulariter exigatur.

2. Ipsa admissio ad postulatum Codice non ordinatur. Potest igitur committi Superiori sive generali, sive maiori, iisque vel solis vel cum voto Consilii seu capituli, eoque vel deliberativo vel consultivo.

3. Prorogatio autem Codice in prudenti arbitrio *Superioris* ponitur: utrum superioris generalis, an etiam provincialis seu maioris? Id Constitutiones perspicue tradere debent. Sed cum canones nullum interventum Consilii vel Capituli memorent, interventus iste non est introducendus Constitutionibus, quae iura Superioribus a Codice data restringere non possunt.

II. *De Noviciatu. 1. De impedimentis.* Prius, ex Codice depromantur impedimenta iuris communis quae in Instituto usu venire possint. Itaque, in Instituto laico vel Sororum, omittentur ea quae pro clericis sunt scripta. Dispensatio impedimentorum iuris communis reservatur S. Sedi.

Subinde ponantur impedimenta propria, si quaedam adiungantur. Horum relaxatio Superioribus permitti potest, exclusis semper candidatis ineptis Congregationi. Sed, quando agitur de Institutis virorum laicis vel religiosarum, ne dicatur a Superioribus dispensari posse, cum vox *dispensatio* proprie supponat iurisdictionem quae in laica persona haberi non potest. Verum dicatur, v. g. Fas erit Superiori, audito, vel assentiente suo Consilio, admittere candidatum qui aliquo ex iis impedimentis detineatur.

2. *De ipsa admissione.* Codex quandam participationem Consilii vel Capituli postulat. Constitutiones determinabunt, eam participationem, quae deliberativa vel mere consultiva esse poterit.

3. *De dote.* Solis monialibus dos iure communi praescribitur, nec admittitur nisi apud religiosas.

Itaque Constitutiones possunt dotem exigere vel non exigere; permittere ut postuletur *per se*, ita ut possit acceptari minor aut non postulari, propter iustam causam, maxime si vel peculiaris peritia candidatae, vel diploma quo habilis fiat ad munus magistrae in scholis publicis, defectum compenset. Arbitrariae enim exceptiones vitandae sunt. Quatenus

autem Constitutionibus praescribatur, condonari ex toto vel ex parte non potest nisi a S. Sede, si religio sit iuris pontificii, vel ab Ordinario loci noviciatus, si fuerit dioecesana. Verum Constitutiones possunt Capitulo generali permittere dotis mutationem, imminutionem, abrogationem. Nam, cum hodie adiuncta valde incerta sint, in arbitrio capituli generalis Congregationis poni potest quanta dos exigenda sit; dum apud moniales dos vel Constitutionibus vel legitima consuetudine necessario definitur.

Praescriptae autem doti canones 548-551 de dotis acquisitione, collocatione, administratione, restitutione applicandi sunt. Memorandus igitur est necessarius interventus Ordinarii loci in prudenti dotis collocatione, praeter prohibitionem eandem ante religiosae obitum impendendi « ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum ».

N. B. Can. 549 vult quidem ut dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur; sed si haec collocatio facta sit magis periculosa quam alia, v. g. quam creditum hypothecarium, Superiores et Ordinarius prudenter aestimare poterunt non esse observandam legem quae contrarie cesset. Duo cavenda sunt: ut secura sit asservatio et facilis restitutio religiosae discedenti.

4. De examine noviciae. Constitutiones memorare debent obligationem qua tenentur Antistitae monendi Ordinarium loci saltem duobus mensibus ante noviciatum, ante primam professionem temporariam et ante professionem perpetuam, ut is tempestive, per se vel per delegatum, procedere possit ad explorationem voluntatis puellae; quae exploratio omnino gratis peragenda est.

5. De regimine noviciatus. a) Initium. Canon 553 optionem linquere videtur Constitutionibus determinandi modum quo noviciatus inchoetur. Nihilo minus, in religionibus quae distincto habitu utuntur, aegre admittitur ut aliter ac per susceptionem habitus noviciatus initium capiat.

Nec, ubi duo sunt anni noviciatus, probatur usus duplicis assumptionis habitus: unius post priorem annum, alterius post alterum annum.

b) *Supputatio* qua *can. 34* § *3,3*⁰ impedit ne prima dies in anno canonico computetur, pluribus Institutis incommoda visa est, utpote quae cupiant simul celebrare vestitos novicios et novos professos. Remedium hoc adhiberi potest ut vestes privatim vespere assumantur, exterior autem sollemnitas, seu festivitas in posteram diem differatur.

c) *Tempus.* Ad valorem noviciatus per se non requiritur nisi unus annus noviciatus, qui dicitur canonicus. Sed, secundum stylum S. Congregationis, annus iste primus esse debet. Id tamen non est condicio valoris. Si ergo primus annus fuerit interruptus, satis erit ut a fine interruptionis integer annus probationis habeat continuitatem Codice requisitam.

Valde expedit, — mentio tamen ista non stricte exigitur, — ut causae interruptionis et suspensionis noviciatus in Constitutionibus memorentur. Quamvis alter annus noviciatus non sit ad valorem, non permittitur tamen, saltem in religionibus mulierum, ut Moderatrix etiam suprema tempus istud diminuat.

d) *Regimen.* Mens quidem Codicis est ut Magistro noviciorum libera sinatur esse actio in regendo noviciatu. Vi tamen can. 561, possunt Constitutiones ipsis Superioribus localibus permittere vel negare immixtionem in disciplina ipsius Noviciatus.

Vult S. Congregatio ut qui Magistro adiungitur ut socius, sit professus votorum perpetuorum, in Instituto ubi vota perpetua nuncupantur.

Cum Codex semper voce singulari utatur quoties agit de socio Magistri, corriguntur Constitutiones ubi praevidetur ut plus quam unus constitui queat.

Muneri Magistri potest sed non debet praefiniri tempus. Sed, etiam si tempus exercendo muneri sta-

tuatur, indefinite locus est iteratae electioni eiusdem personae.

e) *Separatio noviciorum.* Per se quidem accurate observanda est separatio quae canone 564 § 1 praescribitur noviciorum a professis, et, saltem quod ad materialem habitationem, noviciorum conversorum et aliorum. Quia tamen dicta legis temperantur per verba « quantum fieri potest », exiguus numerus noviciorum (ut si unus tantum vel alter habeatur) suppeditare potest causam iustae exceptionis prudenter ordinandae.

Postulantes autem misceri possunt noviciis, dummodo eodem regimine utantur.

Quod quadantenus valet etiam de professis votorum temporariorum.

f) *De bonis temporalibus.* Bene distinguas oportet actum quo *in omni Instituto* professurus debet hic et nunc cedere administrationem bonorum suorum et (nisi Constitutiones aliud ferant, v. g. ipsam destinationem definiant) libere disponere de eorum usu et usufructu, a testamento quod *in solis Congregationibus* religiosis praescribitur faciendus a noviciis. Interdum valde improprie testamentum vocatur actus quo religiosus propriis bonis vel eorum dispositioni actu renuntiat.

Testamento enim de ipsa substantia disponitur; nec postulatur descriptio bonorum de quibus agitur: potest, et saepe id fit, aliquis legare universitatem vel ratam portionem bonorum seu patrimonii quod moriens possidebit. Afficit igitur bona praesentia et etiam futura, sive certo praevisa sint sive non. Testamento nihil actu abdicatur; nemini aliquod ius in bona traditur; actus est semper legaliter revocabilis; dispositio fit pro tempore post mortem.

Observes etiam non iam usurpari voces dominii *radicalis* vel dominii nudi, quasi simpliciter professus aliquo dominio spoliatus sit. Etenim, simpliciter pro-

fessus plenum dominium sui patrimonii servat, cum per nullam dispositionem iustitiam violaret, sed in actu quo nullum ius eripitur usus et usufructus fini indicato destinantur. Actus ipse statuitur semper revocabilis. Cf. can. 580 § 3.

g) Itaque in *Constitutionibus ponenda sunt :* impedimenta ingressus; quae positive requisita sunt testimonia, etc.; modus quo annus noviciatus computandus sit; atque hic utiliter additur ratio qua noviciatus interrumpatur vel suspendatur; obligatio, pro noviciis Congregationum religiosarum, faciendi testamentum; dispositiones de dote, de administratione usu et usufructu bonorum; de incapacitate novicii renuntiandi propriis bonis; praeter ea quae regimen noviciatus spectant.

h) *De secundo anno noviciatus,* ubi Constitutionibus praescribitur.

In illo anno, ius non impedit quin novicius exerceatur in propriis Instituti operibus, maxime in ipso noviciatu; sed etiam in alia domo, dummodo id fiat non propter Instituti utilitatem sed propter meliorem ipsius novicii praeparationem; et observata instructione S. C. de Religiosis, quae vult ut duobus mensibus ante vota novicius domum noviciatus repetat et consuetas noviciorum exercitationes resumat.

l) *De votis devotionalibus et professione in periculo mortis.* Responsione 30 dec. 1922 (*Periodica,* XII, p. 39), praeter Superiores maiores respectivos quibus ex praescripto Constitutionum competit, Superior qui monasterium vel noviciatus aut probandatus domum actu regit, novicium qui medici iudicio in periculo mortis versatur, admittere potest ad professionem vel consecrationem aut promissionem, iuxta proprias regulas seu Constitutiones. Adhibetur formula quae extra casum aegritudinis in usu est; nullum exprimitur tempus ad quod; voventi seu promittenti conceditur indul-

gentia plenaria in forma iubilaei; obtinet omnes gratias professorum decedentium in Instituto; habet meritum coram Deo suae oblationis; sed nullus alius effectus canonicus producitur; et, si convalescat, locum resumit inter novicios. Constat nunc decretum istud de solis noviciis, exclusis postulantibus, valere.

In quibusdam Institutis quae duos annos noviciatus imponunt, usus etiam est admittendi selectos novicios ad vota devotionalia. Vota ista sunt mere privata; omni canonico effectu voti publici destituuntur; nec de iis mentio fit in Constitutionibus.

III. *De Professione religiosa.* 1. *De admissione.* Admissio ad primam professionem temporariam requirit consensum Superioris, competentis secundum Constitutiones, et Consilii. De aliis professionibus, Codex non definit utrum votum Consilii seu Capituli debeat esse deliberativum an mere consultivum. Constitutiones rem definiant. In admissione ad professionem perpetuam, votum non potest esse nisi consultivum.

In Congregationibus religiosis, Superior est plerumque ipse Supremus Moderator; vel Superior Provincialis cum ratificatione Superioris generalis.

Prorogatio autem professionis temporariae indici potest a Superiore generali, propter peculiares causas, ita tamen ut tempus professionis temporariae sex annos numquam excedat.

Ipsa renovatio professionis fieri debet, recurrente die eiusdem numeri quo facta est. Si tamen intervallum fuerit, id non obstabit valori postea secutae professionis.

Ut possint omnes simul renovare professionem temporariam, Superior uti potest sua facultate anticipandi renovationem, non tamen ultra mensem. Conceditur quoque ut professio renovetur in fine exercitiorum annuorum, ita ut annus currat ab exercitiis ad exercitia. Cavetur tamen ne ultra mensem vota ideo anti-

cipari debeant. Videtur etiam fas esse ut Superior (intra spatium sex annorum) professionem temporariam aliquot diebus proroget ut possint plures simul professionem emittere perpetuam.

2. *Anticipatio mensilis* quam can. 577 permittit solam renovationem votorum temporareorum, minime autem professionem perpetuam respicit. Neque, ob huiusmodi anticipationem, quidquam demi potest e tribus annis professionis temporariae, quae c. 574 § 1 facienda praecipitur. Haec iuvat clare in Constitutionibus exprimere.

Etsi, ad normam c. 577 § 1, nulla renovationi votorum interponenda est mora, intervallum quod re vera intercessit, nec valori obstat futurae professionis, nec vim utilem minuit votorum antea factorum.

3. *Formula* ita concipiatur ut dicatur in cuiusnam manibus professio fiat. Qui professionem recepit (Constitutiones designare possunt delegatum ab Episcopo) documentum emissae professionis, una cum ipso professo subscribere debebit (c. 576 § 2).

4. *Locus primae professionis temporariae* debet esse ipse noviciatus (c. 574 § 1). Non constat tamen id ad valorem esse necessarium.

5. *Ius vocis activae et passivae* a Constitutionibus etiam professis votorum temporariorum concedi potest. Nisi autem positive concedatur, neutrum habent (c. 578 § 3). Solet autem Commissio corrigere Constitutiones quae huiusmodi vocem (etiamsi mere activa fuerit) professis votorum temprorariorum largiuntur. Facta est quandoque exceptio de suffragio pro eligendo deputato ad Congregationem Provincialem.

6. Memoranda est *prohibitio* c. 583, qua, in Congregationibus religiosis non licet professis dominium bonorum suorum per actum inter vivos titulo *gratioso abdicare*.

7. Admittitur articulus quo etiam professis votorum sollemnium permittitur, annuentibus Superioribus, civiles actus facere qui necessarii sunt ad tuenda iura sive propria sive communia Instituti.

6. *De egressu e religione.*

I. *De transitu* ad aliam religionem omnino taceri potest. Observes, eum qui transit vitam religiosam non abrumpere. Facultas transeundi, etiam ab uno Instituto dioecesano ad alterum, reservatur S. Sedi.

II. *Distinguendus* est *egressus*, *elapso tempore* votorum temporariorum, et egressus qui fit *ante huiusmodi diem.* Adveniente die professionis temporariae, religiosus omnino libere ad saeculum redire potest; religio autem ipsum admittere non debet ad renovationem votorum, si rationabilis causa id suadeat, non tamen propter infirmitatem, « nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam vel dissimulatam ». Constitutiones autem, silente Codice, determinare possunt ad quemnam competat istud iudicium quo quis non admittitur ad renovandam professionem temporariam vel ad emittendam professionem perpetuam. Aequitati consentaneum videtur ut committatur Superiori generali, saltem audito suo Consilio, vel Superiori maiori, audito Consilio et cum ratificatione Superioris generalis.

Egredienti autem *Sorori, semper ipsa dos restituenda est;* immo, si nullam attulit dotem, nisi forte insufficientem, dandum est subsidium caritativum, ut modo tuto ac convenienti domum redeat, et per aliquod tempus, honeste vivere possit (c. 643). Dispositio ista inserenda est in Constitutiones.

III. Codex cognoscit indulta *exclaustrationis* et *saecularizationis;* sed nihil cogit ut de his sermo fiat in Constitutionibus.

IV. *Casus urgentiores dimissionis.* Canon 646 nu-

merat tres casus in quibus religiosi habendi sunt ut legitime dimissi ipso facto. Casus isti non sunt distincte memorandi in Constitutionibus, praesertim Sororum. Satis est dicere: Praeter casus praevisos c. 646, si gravissimum nocumentum communitati immineat, religiosus potest statim a Superiore maiore, cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso ilico deposito. Res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subici debet (c. 653).

V. *De dimissione religiosi qui votis temporariis vincitur,* ponendus est c. 647; vel saltem compendio, ex c. 648, referendus est effectus solutionis votorum, salvis oneribus ordinis sacri, si dimissus sit in sacris.

VI. *Dimissio post vota perpetua.* Distinguendum est Institutum virorum et Institutum Sororum.

In utroque casu requiritur incorrigibilitas in gravibus defectibus exterioribus. Atque in Institutis iuris dioecesani decretum dimissionis spectat ad Ordinarium loci in quo religiosi vel Sororis professae domus sita est.

Sed in religionibus iuris Pontificii, ipse Supremus moderator religionis virorum, obtento maiore suffragiorum numero pro dimissione, potest decretum dimissionis ferre, quod tamen non sortietur effectum nisi a S. Sede confirmatum fuerit; dum in religione Sororum, Antistita iudicium fert de incorrigibilitate, et dein omnia acta defert ad S. Congregationem, quae decernet quod magis expedire videatur.

Tam religioso quam religiosae ius est libere exponendi suas rationes; eiusque responsiones sunt fideliter in actis ponendae.

Notetur vota religionis per se non tolli dimissione post vota perpetua.

Tertia Pars. De Instituti regimine seu gubernatione.

7. *De Superioribus Instituti.*

Bene ponitur articulus generalis quo agnoscitur, ad tramitem can. 499 § 1, suprema potestas Summi Pontificis, et inculcatur erga ipsum filialis docilitas ; dein potestas Ordinarii loci, vario modo exprimenda prout agitur de Instituto dioecesano, vel iuris Pontificii, exempti vel non exempti.

Opportune dein suprema potestas interna addicitur capitulo generali, quod Institutum repraesentat, potiora munera confert e de gravissimis negotiis tractat; dum habitualis gubernatio fit per Superiorem generalem cum suo Consilio.

Utile quoque videtur hoc loco exscribere can. 502, quo ambitus potestatis Supremi Moderatoris et aliorum Superiorum accurate definitur.

8. *De Capitulo generali.*

I. *Convocatio* statuitur regulariter facienda sexto quoque anno, et cum Superior generalis eligendus est. Extraordinarium capitulum apud Sorores assensum S. Sedis exigit, secundum stilum S. Congregationis.

Definiatur tempus intra quod a morte Supremi Antistitis convocatio facienda sit. Prout Institutum habet vel non habet missiones, cogendum erit intra tres menses a convocatione, vel etiam maius intervallum linquendum erit.

II. *Membra Capituli.* Ipso iure capitulum ingrediuntur : Superior generalis vel Vicarius generalis cum suo Consilio seu cum consiliariis generalibus ; quibus addi consuevit Ex - superior generalis ; - Procurator generalis, si agitur de Instituto virorum ; - Superiores provinciales, ubi exstant ; - Secretarius generalis. Ubi non sunt provinciae, vocantur Superiores domorum principalium. Principales esse possunt sive omnes domus formatae, sive domus quae continere solent duodecim

professos votorum perpetuorum, vel etiam minus, pro ipsa Instituti diffusione.

His adduntur duo deputati a Congregatione provinciali electi per delegatos domorum; vel ubi non sunt provinciae, a singulis delegatis e singulis domibus principalibus.

Religiosi domuum minorum accedunt pro ista suffragatione vel ad domum principalem vel inter se. Ordo istius accessionis melius definitur ab Antistite Supremo cum suo Consilio. Facile admittitur ut, pro designatione delegatorum ad Congregationem vel provincialem vel generalem, suffragia electorum qui aestimantur nimis distare mittantur scripta ad domum quae centrum est provinciae vel ipsius Instituti.

Locus Capituli generalis definitur a Generali vel a Vicario cum consensu Consilii generalis.

Etsi per se numerus delegatorum quos singulae domus mittunt statuatur idem pro singulis domibus, iam tamen concessum est, ut quaedam ratio proportionis haberetur, ita ut, v. g. pro crescente numero unus vel alter delegatus adderetur; v. g. ut unus haberetur delegatus pro 25 professis.

Opportune memoratur, convocationem omnium qui ius habent ad ipsum valorem electionis referre, cum, instante eo qui fuit praetermissus, electio debeat infirmari (c. 162 § 2)

Saepe edicitur duas tertias partes adesse debere pro leginitimis deliberationibus capituli.

III. *Electio Superioris generalis.* 1. Ante sessionem in qua fit electio, vel saltem ante electionem, *relatio* facienda est administrationis praecedentis. Huic relationi Ordinarius, etiam ubi praeest electioni, interesse non debet.

2. Apud *viros,* praeest Superior generalis vel Vicarius generalis; apud *Sorores* Ordinarius loci vel eius delegatus. Non iam dicatur Ordinarium praeesse

ut delegatum S. Sedis ; praeest enim vi iuris ipsi competentis ex c. 506 § 4. Observes ipsum soli electioni Superiorissae generalis praesidere, non autem aliis electionibus, ita ut electione Superiorissae generalis eius munus absolvatur.

3. *Duo scrutatores* vel scrutatrices, una cum Praeside si sit membrum capituli, iusiurandum praestare debent de munere fideliter implendo, et de secreto servando circa acta in comitiis etiam expleta electione (c. 171 § 1).

4. Propter solam absentiam electi Superioris vel Superiorissae generalis, capitulum interrumpitur.

5. Nullo modo iam servandum est quod art. 233 antiquarum Normarum edicebatur, i. e. ut, intra Europam, post tertia scrutinia frustranea, electio devolveretur ad S. Congregationem; sed semper, post tria scrutinia inutilia, instituendum est quartum scrutinium, in quo vox passiva circumscribitur duabus personis quae in tertio scrutinio maiorem partem suffragiorum sortitae erant. Si in quarto scrutinio utraque pari numero suffragiorum designetur, electa censetur quae antiquior sit professione; et si pares fuerint professione, praefertur quae antiquior sit aetate.

6. *De aliis electionibus.* Postquam electio legitima renuntiata est, Superior electus (vel Superiorissa electa) praeest ceteris electionibus. Pro aliis muneribus conferendis sufficere potest maioritas relativa, saltem post tria scrutinia. Saepe qui prius electus est Consiliarius generalis est simul Vicarius. Is, saltem apud viros, videtur eligendus talis qui habeat aetatem et qualitates requisitas in Superiore generali, cuius vices agere debet.

7. *Actiones capitulares.* Capitulum generale quaedam munera principalia confert: semper eligit Superiorem generalem et eius Consiliarios, Procuratorem generalem, et oeconomum generalem, si is ipso iure

sit membrum Capituli. Interdum nominat etiam magistrum noviciorum.

Dein proponit quaenam videantur mutanda in Constitutionibus.

Deliberat de negotiis quae Constitutionibus ipsi reservantur v. g. mutatio dotis, rata pars redituum quam singulae domus arcae generali vel provinciali contribuere debent.

Facit ordinationes. Bene statuitur ordinationes istas, quae, deficiente iurisdictione, actus sunt potestatis dominativae, non valere nisi usque ad proximum capitulum (art. 250 antiquarum Normarum), vel debere in altero capitulo confirmari ut in tempus indefinitum valeant.

9. *De Superiore generali.*

I. *Muneris spatium.* Quamvis Codex admittat Superiores generales, immo maiores qui sint perpetui, in novis tamen Constitutionibus, perpetuitas ista non admittitur. Norma est ut Generalis eligatur ad sex annos, et possit semel iterum eligi. Immo dispositio qua praevidetur ut ad tertium sexennium eligi possit, obtenta maioritate duarum partium et accedente assensu S. Sedis, simpliciter corrigitur. Post factam hanc correctionem, non poterit iam ad tertium sexennium nisi postulari. Postulationis severae regulae habentur in Cod. c. 180.

II. *Habitualis residentia* Superioris generalis debet esse in domo principe Instituti, quae nec mutari potest sine assensu S. Sedis, si Congregatio est iuris Pontificii. Expedit tamen ut non dicatur in Constitutionibus quaenam sit domus princeps, ne, si mutetur, emendandae sint Constitutiones.

III. *Resignatio vel depositio Superioris generalis* assensum S. Sedis postulat in Institutis Pontificiis.

IV. *Exclusio alius muneris.* Liquet ipsi libertatem servandam esse ab omni munere quo prohiberetur

bene Institutum gubernare. Quare ne in domo quidem ubi residet, Commissio sinit ipsum esse Superiorem localem.

V. *Potestas.* Etsi ius admittendi ad noviciatum et professiones tribuatur Superiori cum suffragio consilii, id non impedit quin Superior possit propter sibi notas rationes excludere noviciatu vel professione candidatum quem Consilium admiserit.

Cum desunt Provinciae, Constitutiones potestatem facere possunt Superiori generali delegandi, in remotis partibus, quampiam Superiorissam vel Superiorem, praefectum districtus, qui similem Provincialis facultates habeat.

Dispensatio qua valet etiam, si opus fuerit, communitatem quandam ab aliquibus Constitutionibus eximere ita melius redditur: « dispensare potest ab aliquo articulo disciplinari Constitutionum ».

Observes, cum privatio vocis activae et passivae sit poena canonica, eam non posse infligi sine iurisdictione. Hac autem caret Superior Instituti laici. Quare huiusmodi sanctio omittenda est in Congregationibus quae non sunt clericales exemptae.

VI. *Obligationes.* Superior visitare debet per se vel per alium domos Instituti. Ipse libere sibi substituit sacerdotem vel religiosum sui Instituti ad visitandam domum particularem; si autem agitur de visitatione totius Instituti, non admittitur ut, sine assensu sui Consilii, visitatorem seligat extra suum Consilium.

Relatio non praecipitur facienda nisi quinto quoque anno.

Interdum ponitur in Constitutionibus, Generalem cuius munus ad finem pervenit, quadam alia qualitate, v. g. Vicarii, Institutum moderari usque ad electionem novam Superioris. Melius est ut dicatur: « Superior munus suum exercet donec alius non fuerit electus ».

10. *De Consilio generali.*

I. *Nominatio.* Consiliarii generales designantur capitulo generali. Nec removentur sine assensu S. Sedis. Defunctus autem Consiliarius suppleri potest Consilio generali. Si abfuerit unus vel alter Consiliarius, quando, ut pro electionibus, exigitur coetus plenarius, vicem sumit Superior domus vel alius designatus a Consilio.

II. *Residentia.* Quamvis Codex id minime exigat, solet tamen Commissio requirere ut Consiliarii habitent in domo Generalis, quantum fieri potest, nec probat ut sint simul Superiores cuiuspiam domus, ne in Consilio utilitates propriae domus nimis procurent.

III. *Conventus.* Frequenter convenire debent. Mensilis deliberatio pro normali habetur.

IV. *Argumenta tractanda.* Cum magna cura scribendus est articulus quo catalogus texitur rerum quae ad Consilium generale pertinent.

Distingui possint electiones personarum et res tractandae.

Eligunt Rectores domorum, immo etiam Provinciales; oeconomum generalem et Magistrum noviciorum, nisi hi eligantur a Capitulo generali. Plurium aliorum nominatio potest iis reservari, v. g. socii Magistri noviciorum. Nominant etiam Consiliarium generalem in locum defuncti, vel renunciantis aut depositi. Nominant Visitatorem totius Instituti quando Superior generalis delegare cupit aliquem extra Consilium generale.

Res tractandae dividi possunt in eas quae praeterea requirunt assensum S. Sedis et eas quae in Consilio penitus absolvi possunt.

a) *Cum approbatione S. Sedis:* erectio et translatio noviciatus; erectio, mutatio Provinciarum; alienatio rei pretiosae vel rei quae valore superat 30,000 libellarum seu francorum; aes alienum vel obligationes reales contrahendae ultra eandem summam; dimissio professi votorum perpetuorum.

b) *Probante Ordinario per scripturam:* erectio novae domus vel domus exstinctio; aedificatio ecclesiae.

c) *Sine alia approbatione:* alienationes et obligationes infra 30000 et supra 1000 libellas seu francos; mutationes Constitutionum proponendae S. Sedi extra capitulum generale; admissiones candidatorum ad noviciatum et professiones; admissiones ad ordines sacros studentium; dimissio professi votorum temporariorum.; determinatio summae qua, ad bonos fines tum Generalis tum alii Superiores disponere possunt; definitio pecuniarum subministrandarum a singulis domibus; rationes administrationis temporalis; recognitio relationis faciendae S. Sedi et etiam capitulo generali.

In genere quidquid potioris momenti est, in Consilio deliberari debet.

V. *Qualitas.* Consiliarii seu Assistentes, proprie non sunt Superiores; quia tamen repraesentant supremum Moderatorem, Constitutiones ipsis praecedentiam prae quibusdam Superioribus concedere possunt.

11. *De Procuratore generali.*

Necessitas. Codex per se vult ut singulis Institutis virorum iuris Pontificii suus sit Procurator generalis penes S. Sedem; qui procurator Romae residere debeat (c. 517). Ipse tractat negotia Congregationis apud S. Sedem, ita ut cum eo potius quam cum Superiore generali omnia peragantur.

Si Constitutiones eius muneri certum praescribant tempus, ante finem ipsius spatii removeri non potest nisi consulta S. Sede (c. 517 § 2).

Non desunt Instituta minora quibus obligatio habendi proprium Procuratorem generalem Romae residentem, sit parum utilis et nimis onerosa.

Dispensatio. Quare, ab huiusmodi obligatione dispensantur a S. Congregatione, sive admittatur Procurator alius Congregationis, sive Procurator proprius permittatur alibi residere.

12. *De Oeconomo generali.*

I. *Nominatio* eius fit vel in Capitulo generali, si membrum est capituli, vel in Consilio generali.

II. *Munus et dependentia.* Ipse administrat bona totius Instituti. Quamvis singulae domus capaces sint possidendi bona, S. Sedes non vetat absolute quin una communis fiat administratio temporalis omnium bonorum temporalium.

In Constitutionibus dici non debet bona temporalia ab Oeconomo administrari dependenter a Consilio generali, cui tantum ratio reddenda est; sed sic scribendum est: Bona temporalia administrat dependenter a Superiore generali, cum obligatione reddendi rationem Consilio generali.

Solet S. Sedes praescribere ut pecuniae et « valores » Instituti deponantur in arca quae tribus clavibus claudatur. Etiamsi, ut saepe nunc, omnia ista tradantur custodienda argentariae, clausula ista observari potest, quatenus arca tribus clavibus munita contineat ipsam clavem quam argentaria tradit locatori arcae protectae.

Can. 534 de alienationibus et debitis Congregationum religiosarum ponendus est in Constitutionibus. Hae simul definiant intra limites permissos isto canone, quamnan summam sive Superior generalis, sive Provincialis sive localis, libere expendere possint.

Oeconomus generalis non potest pertinere ad Consilium generale.

13. *De Secretario Generali.*

Secretarius generalis eligi potest inter Consiliarios generales, ita tamen ut non sit Vicarius.

14. *De Magistro noviciorum.*

Magister noviciorum vel a Capitulo generali vel a Consilio generali constituitur, sive in definitum tempus, sive sine die. Semper iterum in munere confirmari potest.

Quamvis non possit esse confessarius noviciorum,

directio tamen spiritualis noviciorum ad ipsum potius quam ad confessarium pertinet. Is tamen suis partibus agendis prohiberi non potest.

15. *De Superiore locali.*

Superior localis non potest immediate ultra bis tres annos eidem domui praefici; idque in Constitutionibus dicendum est.

Optandum est ut semper habeat consiliarios; sed stricte hoc non requiritur nisi in domo formata.

16. *De quibusdam aliis officiis.*

In Constitutionibus plerumque pauca adduntur de quibusdam aliis officiis potioribus: de sacrista, de ianitore, de infirmario.

17. *De Praecedentia.*

C. 106 per se postulat ut qui habet iurisdictionem ceteris praecedat. Assistentes autem singuli nullam iurisdictionem habent et non sunt Superiores. Quatenus tamen repraesentant Supremum Moderatorem, Constitutiones ipsis praecedentiam etiam supra Provincialem concedere possunt. Magister noviciorum locum cedit Superiori locali. Inter religiosos, attenditur prius ad classem dein ad antiquitatem professionis.

18. *Constitutionum obligatio.*

Plerumque in fine ponitur articulus quo declaratur Constitutiones non obligare per se sub peccato, quamvis per accidens, sive ratione materiae, sive ratione affectus minus ordinati, sive ratione damni illati observantiae et studiis perfectionis, eorum non excusata transgressio non sit a peccato immunis.

De praevisa ob Missionem omissione communionis paschalis

« In quodam pago Galliae dabo missionem ad populum, quae quatuor hebdomadis ante festum Pascha-

tis finietur, ergo antequam incipiat tempus communioni paschali assignatum. Fideles tamen qui durante missione communicabunt putabunt se praecepto Ecclesiae satisfecisse et viri non bis ad sacramenta accedent. Ex privilegio associationis nostrae, communione peracta durante missione a me praedicata, potest praecepto Ecclesiae satisfieri, « dummodo Ordinarius loci consentiat ». Sed scio Ordinarium huius dioecesis non consensurum. Unus vero e secretariis curiae dioecesanae mihi dixit me posse singulis poenitentibus in actu confessionis dicere communionem quam facerent quatuor hebdomadis ante Pascha tenere pro eis communionis paschalis locum.

An possum prudenter ita agere ? »

Quo iure responderit hic secretarius contra sui episcopi cognitam voluntatem, nullo modo intellegitur. Optimam tacendi occasionem amisit.

Nonne mentiretur missionarius dicendo singulis poenitentibus eos ad aliam communionem non obligari, cum sciret hoc esse falsum ? Non peccarent poenitentes (saltem rudes, i. e. plerique) ei credendo, sed ipse peccaret ita loquendo.

An secretarius aut missionarius niti possit canonis 859, § 1 ultimis verbis : « nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ? » « Proprius sacerdos » hodie intelligitur sive parochus sive quilibet confessarius. Sed canon concedit huic proprio sacerdoti facultatem dandi alicui fideli consilium *differendi* communionem paschalem, sed non permissionem, eam anticipando, adimplendi praeceptum.

Nullus, quem sciamus, intellexit « ad tempus... abstinendum » significare anticipationem. Insuper « consilium non datur nisi de re meliori... Ac vix alia ratio concipitur esse praeter eam quae ex praesenti indispositione vel minore dispositione colligitur : ut si

quis in fide dubius haereat » (1). Sed in quaestione posita agitur de fidelibus sat bene dispositis ad communionem, quia hanc debent paulo post confessionem facere ; quomodo igitur confessarius iudicabit hos omnes fore post unam hebdomadam ita male dispositos, ut debeat singulis consilium dare differendi communionem sequentem... usque ad tempus paschale anni sequentis ? Tale consilium, ex manifesta Ecclesiae intentione, sat raro dari debet, et solum « ad tempus », quae expressio innuit tempus sat breve, non maius (moraliter loquendo) quam requirit possibilitas se bene disponendi. Si uni alterive poenitenti possit missionarius consilium dare, propter causas individuales, abstinendi usque ad annum sequentem, saltem modo omnino abusivo et imprudenti ageret si hoc omnibus suaderet.

Verba canonis 859, § 1 « nisi... abstinendum » communiter intelligi de casu raro, et quasi exceptionali, ex hoc ostenditur quod generatim scriptores iuris canonici aut theologiae moralis ea nullo modo explicant. Si pauci quaedam verba commentarii habent, haec quae diximus confirmant. V. g. NOLDIN scribit: « Parochi et confessarii exsistente legitimo impedimento pro singulari persona communionem paschalem ad tempus differre possunt... » (2) « Singularis persona » ostendit casum rarum ; « ad tempus differre » non est anticipare nec reicere ad sequentem annum ; « legitimum impedimentum » non est mala voluntas eius qui, etiam si sciret sibi communicandum esse tempore Paschatis, hoc facere nollet. Secus, satis esset dicere parocho « ego nolo communionem paschalem recipere » et audire responsum parochi. « Bene, ne recipias hoc anno », ut quilibet eximeretur a pascha-

(1) A. VERMEERSCH, *Theologia moralis*, t. III, n. 403, 3.
(2) *De praeceptis Dei et Ecclesia*, 1922, m. 692.

lis communionis gravissimo praecepto. Iuterpretatio ita eversiva omnino reicienda est.

In praxi, quomodo se gerat missionarius noster? Si in tribunali poenitentiae a quibusdam interrogatur, debet (nisi adsit pro aliquo ratio specialis dandi consilium oppositum) eos docere veritatem, nempe ipsos obligari ad eucharistiam tempore paschali recipiendam. Si non interrogatur, cum timeat ne monitio non sit profutura, in bona fide eos relinquatn non loquendo de obligatione pro eis aliam communionem paulo post faciendi. Attamen, sive e suggestu sive in privatis colloquiis sive in confessionibus, eos ad hanc communionem paschalem vehementissime adhortetur.

E. JOMBART, S. I.

De usu can. 875 § 1 ad conferendam iurisdictionem

Titius est Superior domus constantis ordinarie ex tribus sacerdotibus regularibus sui Ordinis, et destinatae tradendis exercitiis spiritualibus per tres dies viris saecularibus. Ad exercitia tradenda saepe invitantur alii sacerdotes. Titius autem non audet eis iurisdictionem conferre ad audiendas confessiones saecularium exercitiis vacantium, sed putat toties quoties ad loci Ordinarium scribendum esse. Nam: 1. Cum domus ab aliquo collegio sit dependens, etsi Titius fere omnia possit quae alii Superiores, tamen solo Ministri titulo donatus est. — 2. Coram administratione civili habetur ut Superier non Titius, sed vetus quidam sacerdos saecularis, religiosorum amicus. — 3. Domus non fuit a religiosis acquisita, sed solum conducta. — 4. Non constat sex religiosis. — 5. Dubium est vacantes exercitiis posse quoad confessiones religiosis aequiperari.

R. Quaestio est utrum necne applicari possit c. 875, § 1. Quod affirmandum videtur.

Etenim ut obiectionibus respondeatur : 1. Iurisdictionem confert, ut ait ipse c. 875, § 1, « Superior, ad normam constitutionum ». Sed Titius, ad normam constitutionum huius Ordinis, cum titulo Ministri ob aliquam ab altera domo dependentiam, est verus Superior, dans omnia praecepta, licentias, dispensationes, etc. quae in aliis domibus proprie dicti Superiores conferunt. Ordo admittit eum posse iurisdictionem dare ad religiosorum suorum confessiones audiendas ; ergo idem potest relate ad saeculares de quibus agitur. — 2. Ficticium quemdam Superiorem saecularem relationes habere cum administratione civili, religiosis parum faventi, veritati canonicae nihil detrahit. — 3. Ut habeatur « domus religiosa », nullo modo requiritur domum materialem ab ipsis religiosis possideri. Secus, nulla esset domus religiosa Minorum aut Cappuccinorum sancti Francisci, cum omnes eorum domus a Sancta Sede possideantur. — 4. Domus formata non requiritur, cum c. 514, § 1, ad quem remittit c. 875, § 1, dicat solum « in religiosa domo », quod significat « domum alicuius religionis in genere » (c. 488, 5⁰). — 5. Saeculares exercitiis vacantes vere sunt ex personis « in religiosa domo diu noctuque degentibus causa... hospitii » ; hospites esse per 24 horas sufficeret ; hi vero in domo per tres dies noctesque degunt.

Si Titio tamen dubium remaneat ob titulum suum Ministri, saltem admittet se valde probabiliter iurisdictionem dare posse, seu haberi « dubium positivum et probabile » quocum tuto et licite (aliud esset in casu erroris communis) agi potest. Cfr. c. 209.

E. JOMBART, S. I.

Solutio casus de Confirmatione; ministri competentis et patrini, propositi p. 120*.

Ad I. Ut responsum prudenter dari possit, indagandum prius est ubi et a quibusnam sacerdotibus orientalibus Adulphus confirmatus fuerit. Nimis enim absolute scripsimus in *Theol. mor.* III, n. 266, omnibus sacerdotibus ritus graeci facultatem esse ministrandi sacramentum confirmationis. Sunt enim regiones in quibus facultas ista sacerdotibus orientalibus erepta est; sunt Orientales qui tali facultate non fruuntur. Iam vero, ut scripsit BENEDICTUS XIV, *Syn.* L. 7, c. 9 § 4, « Confirmatio est irrita reputanda in locis in quibus certo novimus talem facultatem (confirmandi) Graecis alteriusve Orientalis ritus sacerdotibus esse ab Apostolica Sede expresse ademptam ». Itaque, absolute iteranda est confirmatio, si Adulphus eam receperit a sacerdote orientali in Italia, in insula Cypri, in Bulgaria aut a Maronita (Cf. BEN. XIV l. c. n. IV. V., vel AUG. ARNDT, S. I., in *Prakt. Qtft Linz*, 1927, p. 770 ss. *Firmung durch Orientalische Priester).*

Consequenter etiam dices, si haec ipsa sacerdotum graecorum facultas in quadam regione fuerit dubie erepta, ipsam receptam confirmationem fore dubii valoris, ita ut sub condicione iterari possit; immo debeat, ante ordinationem vel ingressum in religionem; cum, vi can. 544 § 1, aspirantes testimonium exhibere debeant receptae confirmationis; et, vi c. 974 § 1, recepta Confirmatio ponatur inter condiciones licitae ordinationis.

Quid autem si S. Sedes nihil statuerit de sacerdotibus orientalibus? Confirmatio, ut ait BEN XIV, l. c. n. V, rata habenda est (saltem si subiectum fuerit Orientalis).

Hactenus enim egimus de ipsa facultate confirmandi.

Verum praeterea quaerendum est utrum necne simplex sacerdos Orientalis sua potestate valide erga pueros *latinos* uti queat.

Ipsos tali administratione *prohiberi* liquet tum ex decl. *S. C. P. F.* 5 iul 1886 (*Collect. P. F.* II, 1660) tum ex can. 782 § 5.

Rursus autem non constare de nullitate istius administrationis, colligi potest ex resp. *S. Officii*, 14 ian. 1885 (*Collect. P. F.* II, n. 1630). Noluit enim Suprema Congregatio ut a sacerdote schismatico confirmati latini iterum confirmarentur, nisi vel ipsi aut eorum parentes id peterent, vel nisi ad Tonsuram et Ordines promovendi essent: quo casu administrationem secreto et *sub condicione* faciendam esse.

Dixeris fortasse solutionem hinc pendere utrum, cum Dölger, citato a Lehmkuhl II, n. 136 nota, tenendum sit potestatem confirmandi per se in presbytero inesse, an potius, cum communi, facultas ista dicenda sit accedere ex delegatione superioris competentis. Si enim presbyter per se valide sacramentum ministrare potest, prohibitio actum efficiet illicitum, non autem invalidum, nisi clausula irritans apposita fuerit. Si contra, positiva concessio necessaria fuerit, haec cum expressa prohibitione conciliari nequit.

Argumentum tamen non est stringens, quia ipsi Episcopi videntur (salva reservatione S. Sedis) per se presbyteros delegare posse, ita ut in presbyteris orientalibus haec delegatio dici possit non deesse. Cf. quae post Lehmk. scripsimus in *Theol. mor.* III, n. 266. Quare, tum in tractatu *De Sacramentis*, I, n. 206 tum in lucubratione supra hic posita, R. P. Cappello S. I. et nos ipsi, l. c. in partes inclinavimus quae validitati talis administrationis favent.

Itaque ad casum respondemus, Adulphum vel absolute iterum confirmandum esse, si sacerdos graecus cui privilegium confirmandi desit ipsum confirmare

attentaverit; vel condicionate in alia hypothesi. Ratio est quia, ut supra monuimus, tum religionem ingrediens tum ordinandus, confirmati esse debent, ut licite agatur.

Ad II. Episcopus Fesulanus nimis scrupulose egit. Canon enim 783 permittit ut episcopus etiam extraneos chrismate ungat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio; et iam ante Codicem, quamvis tunc tacitum proprii Ordinarii consensum postularent, consensus iste praesumi poterat quod ad eum ordinandum qui a suo episcopo litteras dimissorias ad ordines obtinuisset. Cf. *Theol. mor.* III, n. 267.

Licebat igitur Episcopo Fesulano Americanum Robertum confirmatione augere ante primam tonsuram.

Ad III. Expedita responsio nobis suppeditatur a *S. Rituum Congr.* 14 iun. 1873 (*Collectanea Prop. Fid.* II, n. 1403), quae, interrogata de Episcopo qui solebat, ut in casu, dextra manu frontem confirmandi sacro chrismate signare ut minister, ac sinistra confirmandum ipsum tenere ut patrinus, respondit: « Episcopus confirmans in casu officium patrini gerat per procuratorem ».

Neque obstat, in casu nullum adesse qui sit confirmatus. Procurator enim, qua talis, peculiarem capacitatem per se habere non debet quae requiritur in eo cuius mandatum exsequitur. Nec peculiaris qualitas positive exigitur. Satis igitur est ut procurator usum expeditum rationis habeat et sit baptizatus.

A. VERMEERSCH, S. I.

Casus de Missae integritate et defectibus.

In templo rurali sollemnis a parocho Abundio functio celebrabatur; post Missam enim Sanctissimum Sacramentum per vias magna pompa deferendum erat.

Verum, nescio qua distractione, aedituus de curanda consecratione maioris pro lunula ostensorii hostiae non cogitavit nisi inter ipsam missam, et quidem quando iam utriusque speciei consecratio peracta erat. Hoc tamen aedituus, variis negotiis retentus in sacristia, non adverterat; et festinatim attulit ad altare lunulam cum consecranda hostia. Abundius valde anxius et animo perplexus, existimavit sibi, in tanta necessitate, fas esse ut verba consecrationis supra novam panis materiam repeteret. In choro autem aderat clericus, theologiae studiis addictus, qui animadvertens istam novam consecrationem, statim in sacristiam alterum calicem quaesivit, atque, infuso vino cum modica aqua, eum praesentavit celebranti aiens: Reverentia Vestra, iterata consecratione panis, alterum sacrificium inchoavit quod perfici debet; non potest autem aliter perfici nisi consecratione calicis quem tibi offero. Rei novitate perturbatus, sed persuasus argumento seminaristae, qui bonam famam studiosi iuvenis habebat, Abundius supra calicem etiam formulam consecrationis vini pronuntiavit. Cum autem ventum esset ad communionem, Abundius ante se habebat duas maiores hostias et duos calices. Quid fecit? Sumpsit, more solito, hostiam et calicem quae primo loco consecraverat, additis etiam solitis ablutionibus. Dein, non ieiunus sumpsit alterum calicem; hostiam vero lunula contentam posuit in ostensorio.

Inter ipsam processionem, Abundius, ut facile intellegitur, non multa devotione fruebatur, sed vel invitus animo volvebat quae fecerat et quae facere debuisset.

Quaeritur quid sentiendum sit de variis actis Abundii in ista sollemni missa; et quodnam rectum consilium ipsi dari potuisset.

PARS ALTERA

MONUMENTA

42. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Breve " Ad Sancti „ 4 sept. 1927

INDULGENTIA PLENARIA CORONAE RECITATAE CORAM SS. (1)

PIUS PP. XI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Occasione sumpta Congressus eucharistici qui in ecc.am S. Dominici convenit,

Ad Sancti Dominici, Bononiensi in civitate, proximis diebus sollemnissima Conventus eucharistici habebitur celebratio, quam ad excitandam provehendamque christifidelium pietatem erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum summopere profuturam confidimus. Generalis vero Magister Ordinis Praedicatorum, cum in amplissimam sui Ordinis basilicam, in qua corpus Fundatoris religiosissime asservatur, ipsius Congressionis coetus conveniant, enixis precibus nos rogat ut peculiari de thesauro Ecclesiae indulgentia, praeclara hac faustaque occasione, christifideles donemus qui Rosarium B. M. V., a patriarcha S. Dominico ad honorem Deiparae institutum, ante augustum D. N. I. C. sub velis Eucharisticis delitescentis Sacramentum recitaverint. Quibus supplicationibus Nos, cognitum ac perspectum habentes, opportunum admodum esse ut hanc Indulgentiam concedamus, quae, cum a S. Dominico simul atque a pietate Eucharistica suam originem repetat, Conventus Eucharistici Bononiensis, cuius certo quodam modo praefata S. Dominici

Magister Generalis O. P. impetrat a SS. D. recitantibus Rosarium coram SS° peculiarem indulgentiam.

(1) *A. A. S.* Breve istud non promulgarunt. Reperitur in variis ephemeridibus.

ecclesia cardo erit, peculiare quoddam mnemosynum ac monumentum exsistat, adnuere statuimus, atque ita praecipua Nostrae voluntatis significatione pii eventus sollemnitatem augere. Conlatis igitur consiliis cum dilecto filio Nostro S. R. E. Car.li Paenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia, atque Eius Apostolorum beatorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus qui poenitentes et confessi ac sacra Communione iuxta morem sint refecti, ante Sacratissimi Corporis Christi sacramentum ad publicam fidelium venerationem expositum, vel etiam in tabernaculo adservatum, tertiam B. M. V. Rosarii partem devote recitantibus, *quotiescumque* id egerint, *Plenariam Indulgentiam* et remissionem misericorditer in Domino in perpetuum concedimus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

I. e., fidelibus qui solitas confessionis et communionis condiciones impleant et coram tabernaculo tertiam Rosarii partem recitent,

S. Pontifex toties quoties *indulgentiam plenariam largitur.*

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, autoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Clausulae quibus firmitati factae gratiae cavetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Septembris anno 1927, Pontificatus Nostri sexto.

Dies 4 sept. 1927.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

I. Valde digna est speciali mentione, insignis ista indulgentia qua deinceps quaelibet devota recitatio tertiae partis Rosarii ditatur, quando coram SS. exposito vel saltem coram tabernaculo clauso peragitur.

II. *Ambitus indulgentiae.* Est *tempore* perpetua, *loco* universalis. Prostat igituro in mni ecclesia vel in omni oratorio publico; immo in omni oratorio ubi SS. eucharistia asservatur. Per se quidem, salvo privilegio quarundam personarum seu communitatum, lucrifieri nequit in oratorio semipublico indulgentia quae visitationem loci sacri postulat. Sed praesens largitio nullam visi-

tationem loci qua talis postulat. Mere requiritur ut tertia pars Rosarii recitetur coram SS. Sacramento.

Quamvis autem indulgentia plenaria cuipiam operi annexa semel tantum in die acquiri queat, habetur hic expressa dispositio, canone 928 § 1 praevisa, ut obtineri possit quotiescumque opus praescriptum ponatur.

III. *Indulgentiae condiciones.* 1. *Substantialis* condicio seu causa indulgentiae, quae proin in aliam commutari nequit a confessario vi c. 935, (1) est recitatio tertiae partis Rosarii coram SS. exposito vel coram tabernaculo quo continetur.

Rosarium autem, secundum descriptionem datam a LEONE XIII in IV Lectione Officii in Festo SS. Rosarii recitandi, est « certa precandi formula, qua quindecim angelicarum salutationum decades, oratione dominica interiecta, distinguimus, et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recolimus ». Tertia igitur pars quinque huiusmodi decadibus constat.

Itaque: *a*) non requiritur ut manibus volvatur corona benedicta aut ditata indulgentiis. Immo lucranti plenariam indulgentiam non possint simul acquiri aliae indulgentiae quibus materialis corona ditata est. Etenim, ut sonat c. 933, « uno eodemque opere cui ex variis titulis indulgentiae annexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit ».

b) Si opus non est benedicta corona, non videmus cur aliqua materialis corona manu tenenda sit, dummodo praescriptus orationum numerus debito modo recitetur.

c) Sed necesse est ut pia mysteriorum meditatio ad singulas decades fiat, sive ante recitationem ora-

(1) Cfr. *Theol. mor.* III, n. 633, vel *Epitome iur. can.* II, n. 221.

tionis dominicae vel angelicarum salutationum, sive inter ipsam recitationem. Sin minus, non haberetur forma rosarii qualis a Leone XIII definitur.

2. Requiritur *confessio* sacramentalis facta saltem intra octo dies ante diem qua quis indulgentiam consequi cupiat, vel etiam intra subsequentem octavam. Immo qui solent bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere aut saltem quinquies in hebdomada digne recipere sacram communionem, condicione actualis confessionis eximuntur.

3. Requiritur s. communio « iuxta morem ». Postrema haec verba nobis non sunt perspicua. Se referunt, ni fallimur, ad can. 931, quo docemur quaenam communio sufficiat lucrandae indulgentiae pro qua tamquam condicio exigitur. Verba igitur *iuxta morem* idem significare putamus quod « iuxta normam praescriptam ». Iam vero sufficit communio facta in pervigilio vel intra subsequentem totam octavam.

Itaque practice, qui bis in mense confiteri solet et singulis hebdomadis ad s. synaxim accedit, poterit cotidie lucrari indulgentiam plenariam quotiescumque tertiam partem rosarii coram Sanctissimo recitaverit.

4. Nulla praeterea condicio exprimitur. Ergo non postulatur oratio ad mentem S. Pontificis. Sed ipse gratus animus erga benefactorem suadebit ut plures coronae pro eius intentionibus Deo offerantur.

IV. *De clausulis.* Magna, non consueta, vi verborum Pontifex firmitatem concessae indulgentiae urget, ita ut breve istud sollemnes clausulas Bullae seu Constitutionis Pontificiae imitetur. Haec verborum gravitas, quae maturam deliberationem demonstrat, confirmare nobis videtur nostram interpretationem qua magnae isti indulgentiae nullas alias praefigimus condiciones praeter eas quae ab ipso Pontifice explicite relatae sunt.

43. — Suprema S. C. S. Officii

Resolutio 8 iul. 1927

DE CONVENTIBUS (QUOS DICUNT) AD PROCURANDAM OMNIUM CHRISTIANORUM UNITATEM.

(A. A. S. 1 aug. 1927, XIX, 278)

Dubii occasio.

Occasione conventus, qui diebus 3-21 proximi mensis Augusti habebitur Lausonii in Helvetia, propositum est Supremae Sacrae Congregationi S. Officii dubium:

Dubium.

« An liceat catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, concionibus, aut societatibus quae eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno religionis foedere consocientur? »

Dies Congr. gen.

In Congregatione Generali, Feria IV, die 6 Iulii 1927, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales respondendum mandarunt:

Responsum.

« *Negative,* atque standum omnino decreto ab hac ipsa Suprema Sacra Congregatione die 4 Iulii 1919 edito *De participatione catholicorum societati* " Ad procurandam christianitatis unitatem „ ».

Approbatio SS.i.

Ss.mus Dominus Noster D. Pius div. Prov. Pp. XI, sequenti Feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit et publicari iussit.

Dies (8 iul. 1927).

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 8 Iulii 1927.

ALOISIUS CASTELLANO,

L. ✠ S. *Supremae S. C. S. Off. Notarius.*

ANNOTATIONES

I. Tanta sollicitudo quam, hisce annis, S. Sedes explicat pro revocandis errantibus ad unitatem Ecclesiae, praeter ipsam utilitatem clarioris intellectus praesentis responsionis, nos movet ut non nulla referamus fata historica quae eius argumentum illustrant.

1. Anno 1910, conventus plenarius ecclesiae epis-

copalis Americanae (1), ut promoveret unitatem omnium christianorum, proposuit totius Orbis congressum *(World Conference)* ad quem, opera institutae Commissionis, plures sectas haereticas iam ab initio invitavit. In primis tamen rogata est cooperatio Ecclesiae catholicae. Atque ambo Cardinales Americani, Em. GIBBONS, archiep. Baltimorensis, et Em. FARLEY, arch. Neo-Eboracensis, litteras ad se in hunc finem directas studioso animo exceperunt.

Vix autem inchoato atroci bello, 2 nov. anni 1914, secretarius *World Conference* humanissimas litteras misit ad C. GASPARRI, ut S. Pontifex pro felici successu eius conatus Deum orare dignaretur. Em. Card. Secretarius Status, 18 dec. 1914, comiter rescripsit: « Sanctitas Sua, ut omnia e sententia veniant, vota maxima exprimit, Christumque Iesum impensissimis verbis rogat, eo vel magis, quod Christi ipsius praecinente ac iubente voce, scit Se, cui omnes pascendi homines traditi sint, principium et causam esse unitatis Ecclesiae ». Litterae istae, ut auctores *World Conference* nova epistola declararunt, « a Te gratissime acceptae... summo cunctorum astantium gaudio perlectae sunt ».

Immo S. Pontifex BENEDICTUS XV, litteris in forma Brevis *Romanorum Pontificum*, 25 febr. 1916 (*A. A. S.* IX, 1917, p. 61 ; *Periodica*, VIII, p. 135), preces pro Unitate Ecclesiae a die 18 ad 25 ian. indixit recitandas et indulgentiis auxit. Ipsa *World Conference* statuit (Litt. circular. 2 nov. 1917), ut iisdem diebus anni 1918, preces pro unitate Ecclesiae funderentur.

Anno 1919, mense maio, selecti quidam viri istius coetus a S. Pontifice magna benevolentia excepti sunt. Pontifex tamen simul declaravit, cur ipse, etsi unitatis

(1) Ecclesia ista, anno 1919, sive in Statibus foederatis Americae Septemtrionalis, sive in regionibus missionum, congregabat 103 dioeceses, et 5800 presbyteros; scholas habebat celebratas a 550 000 pueris; et quovis anno, pro se et operibus suis, expendebat vigesies milies milia dollars.

cupidissimus, conventum pro unitate nullatenus participare posset: notissimam enim esse doctrinam Ecclesiae catholicae de unitate visibilis Ecclesiae Christi. Addebat Sanctitas Sua, a Se non improbari ipsum Congressum virorum qui non sunt in communione cum Sede Apostolica (Cf. *Civiltà Cattolica*, 1919, III, p. 204, nota) (1).

2. Iam antea, anno 1857, non nulli Anglicani Angliae, constituerunt societatem ad procurandam unitatem Christianismi, cui societati serviebat libellus periodicus *The Union Review*. Cum etiam catholici huic societati adhaerere coepissent, episcopi Angliae, mense aprili 1864, S. Sedem de ista societate et participatione catholicorum interrogarunt. *S. C. S. Offici* respondit litteris circularibus ad Episcopos Angliae 16 sept. 1864 (2) quibus negavit catholicos isti societati nomen dare vel favere posse. Cum litterae istae a praefata societate non sine dolore et obiectionibus exceptae essent, eadem Suprema S. Congregatio, 8 nov. 1865, ad quosdam Puseistas direxit paternas litteras instructionis et commonitionum (3).

II. Decretum autem 4 iul. 1919, De participatione catholicorum societati « ad procurandam christianitatis unitatem », ita sonat: « In generali consessu Supremae S. C. S. Officii, habito feria IV, 2 iul. 1919, proposito dubio: « Utrum instructiones huius eiusdem Supremae S. C. latae 16 sept. 1864, circa participationem catholicorum cuidam societati Londini erectae ad *procurandam*, ut aiebant, *christianitatis unitatem*, applicandae sint et a fidelibus servandae etiam quod ad eorundem participationem conventibus quibuscumque, comitiisque pu-

(1) The *World Conference* publici iuris fecit opusculum: « *De unione ecclesiarum ac totius christianitatis societatis congressu pro quaestionibus ad fidem ordinemque ecclesiae spectantibus rite explorandis et perpendendis.* Litterae Secretarias Status opusculo isto exhibentur.

(2) Cf. *Coll. de P. F.*, I, 1262, vel *Fontes*, IV, 252, vel *A. A. S.*, XI, 310.

(3) Cf. *Coll. de P. F.*, I, 1276, vel *Fontes*, IV, 262, vel *A. A. S.*, XI, 312.

blicis vel privatis ab acatholicis indictis, qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium coetuum christianorum nomen sibi vindicantium »; E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales respondendum mandarunt: « *Affirmative* », et iterum evulgandas esse in ephemeride officiali S. Sedis supra memoratas litteras, una cum aliis ad quosdam Puseistas anglicos datis, die 8 nov. 1865 » (1).

« SS. D. N. D. Benedictus Div. Prov. Papa XV sequenti feria V, die 3 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, relatam sibi Em. Patrum resolutionem approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 4 iul. 1919.

« Aloisius Castellano, Supremae S. C. S. Off. Notarius. »

(Decretum istud iam *Per.* X, 35 exscripsimus cum non nullis annotationibus R. P. Creusen, S. I.)

III. Inde satis constat praesentem responsionem negativam nullo animo hostili datam esse. Sed dum Ecclesia libenter videt filios suos separatos deliberantes de unitate (quam non reperient nisi redeundo ad unicum Christi ovile), ut ipsi frustraneis suis conatibus de meliore via capessenda edocerentur, simul sollicite cavet fidelibus suis, quos vult incolumes servare ab omni indifferentismo et a falsa specie caritatis quae extra unam fidem veram quaeratur.

(1) Quare litterae circ. 16 sept. 1864 et epistola 8 nov. 1865 insertae sunt in *A. A. S.*, XI (1919), p. 310 ss.

44. — Suprema S. C. S. Officii.

Decretum, iussu Pontificis datum 19 sept. 1927

PROSCRIBENS OPUS « LES PIÈCES D'UN PROCÈS »
(A. A. S. 3 Oct. 1927, XIX, 347)

Opus

Cum ad hanc Supremam S. C. S. Officii delatum fuerit opus cui titulus, *Les pièces d'un procès — « " L'Action Française „ et le Vatican » — Préface de Charles Maurras et Léon Daudet*, iussu SS. D. N. Pii Pp. XI hoc praesenti decreto idem opus proscribitur, damnatur atque in Indicem librorum prohibitorum inseritur.

iussu SS. D. damnatum.

Dies (19 sept. 1927).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 19 septembris 1927.

ALOISIUS CASTELLANO, *Supremae S. C. S. Off. Not.*

ANNOTATIO

Hoc unum observandum est, decretum non esse post votum Consultorum ab Em. Patribus latum et dein a S. Pontifice approbatum; sed immediato iussu S. Pontificis confectum est.

45. — S. Congr. Rituum

Responsum 27 iulii 1927

DE MISSA CORAM SS. EXPOSITO
(A. A. S. 1 aug. 1927, XIX, 289)

Dubium.

Sac. Rituum Congregationi propositum fuit sequens dubium:

« An liceat Missam cum cantu vel lectam celebrare coram Ss.mo Sacramento velato vel in pyxide exposito, intra vel extra tabernaculum? » Et quatenus Negative:

Responsio

« Utrum huiusmodi usus saltem tolerari possit? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: « Negative ad utrumque ».

Simul observatio duorum decretorum urgetur.

Hac nacta occasione, ipsa Sacra Rituum Congregatio decreta N. 3448, *Societatis Iesu*, 11 Maii 1878, et N. 4353, *Marianopolitana*, 17 Aprilis 1919, circa Missam et sacram Communionem in Altari expositionis Ss.mi Sacramenti, adhuc in suo robore manere declarat; eorumque observantia a Rev.mis locorum Ordinariis peculiari studio curanda est.

Dies (27 iul. 1917).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 27 Iulii 1927.

† A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praef.*
L. ✠ S. *Angelus Mariani, Secretarius.*

Annotationes

Cum S. R. Congregatio simul dubium solvat, et, hac occasione, observantiam duorum decretorum antiquiorum urgeat, de utraque parte decreti breviter dicendum est.

I. **De dubii solutione.** 1. In proposito dubio agitur solummodo de Missa quae celebretur coram Sanctissimo velato vel in pyxide exposito, sive intra tabernaculum asservetur, sive extra tabernaculum ponatur. Intacta igitur manet quaestio de Missa coram Sanctissimo *publice* (i. e. in ostensorio) exposito.

Iam vero haec ratio celebrandi adeo improbanda declaratur, ut ne usus quidem tolerari possit. Quae verba, ut observat Dr. A. C. M. S. in *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* 1927, p. 292, efficaciora sunt quam clausula qua consuetudo ut corruptela reprobatur.

Haec autem nobis videtur esse ratio huius severitatis. Vel pyxis seu velatum sacramentum e tabernaculo extrahitur, et tunc usurpatur forma expositionis quam *irregularem* notavimus, tum in *Theol. mor.* III, n. 433 (ed. 2), tum in *Epitome*, II, 599 (ed. 2 et 3); vel servatur in tabernaculo, et tunc habes expositionem privatae causae, quae parum quadrat ad publicam rationem omnis Sacrificii Missae.

2. Practice tamen, ubi mos iste invaluerit, vitanda populi miratio et offensio, suadent ut de re ordinatio episcopalis exspectetur. Ita laudatus Dr. A. C. M. S. loco citato.

II. **De commendatis decretis** n. 3448 (Soc. Iesu, 11 maii 1878) et n. 4353 (Marianopolitana, 17 april. 1919.)

Priore decreto responsum est, sine *necessitate* vel *gravi causa,* vel sine *speciali indulto,* non licere ut Missae celebrentur coram SS. Sacramento *publice*

exposito ; simpliciter autem prohiberi distributionem s. communionis ex eodem altari, sive intra sive extra Missas.

Altero autem decreto, modo allegatum decretum iterum inculcatur. Cf. *Per.* X, 84 et ss., ubi decretum exhibetur cum eruditis annotationibus R. P. Ios. Pauwels, S. I.

Prohibitio tamen ista non impedit quin gratiae contrariae concedantur. Ita in ecclesiis Cong. Mariae Reparatricis, ubi perpetua habetur, saltem per diem, publica expositio, missa et communio ad altare ss. sacramenti expositi indulgetur. Ubi nullum habeatur indultum, et non sit nisi unicum altare, in quo, v. g. propter adorationem XL horarum, expositum sit SS. Sacramentum, possit, dum distribuitur s. dapes, sacramentum velari, sicut fit cum contio habenda est inter expositionem.

Simul vult S. C. ut Ordinarii observantiam istorum decretorum peculiari studio curent ; i. e. ut etiam usus contrarios prudenter abolere conentur. Ad ipsos igitur Ordinarios haec altera praesentis responsionis pars dirigitur.

46. — S. Paenitentiaria Apostolica.

DISPENSATIO MATRIMONIALIS EX SPECIALI AP. AUCTORITATE.

Fons potestatis.

S. Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SS. D. N. Papa, tibi dilecto in Christo proprio praedictorum putatorum coniugum parocho vel vice sua vicario cooperatori necessarias et opportunas facultates tribuit, ut possitis et valeatis dispensare oratores super impedimento... atque assistere matrimonio inter dictos oratores secreto celebrando, omissis denuntiationibus aliisque sollemnitatibus ab Ecclesia fieri consuetis et absque testibus, impositoque oratoribus iuramento, se lege civili contra matrimonii

Facultas tributa parocho vel Vicario.

Modus.

indissolubilitatem non esse abusuros, ac omni remoto scandalo; prolem sic susceptam sive suscipiendam legitime exinde decernendo ac respective enuntiando. Pro foro conscientiae; ita tamen ut huiusmodi gratia etiam pro foro externo oratoribus suffragetur. Ad quem effectum praesentes litterae cum attestatione impertitae exsecutionis ac sic contracti matrimonii, facta etiam descriptione dicti matrimonii in libro secretorum matrimoniorum in parochiali archivo caute serventur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimatione constare possit.

Vis pro foro externo.

Ideo praescripta.

ANNOTATIONES

I. Prof. Dr. I. HARING inseruit in *Theol. prakt. Qtschft.* Linz, 1927, 775, unde eam mutuamur, hanc valde notabilem responsionem, cuius ipse occasionem sic refert. Titius et Caia, non plene rei ignari, reticuerant impedimentum quod lege tum ecclesiastica tum civili dirimens est, et a quo aegerrime dispensatur. Legitimi perhibentur coniuges. Conscientiae stimulis moti, putati coniuges auxilium sui parochi implorant. Is causam accurate describit S. Paenitentiariae, a qua praefatum indultum obtinet.

II. Observes gratiam concedi speciali S. Pontificis auctoritate; facultatem fieri sive parocho sive vicario cooperatori; peculiare iuramentum imponi coniugibus; matrimonium celebrandum esse sine testibus (praeter solum parochum vel eius cooperatorem); gratiam pro foro interno datam valere etiam pro foro exteriore; ideo acta servanda esse in secreto archivo parochiali, dum Codex c. 1047 praescribit asservationem in archivo Curiae, et, ut observat Prov. HARING, l. c. secretum parochiale archivum nusquam memorat.

III. Notabili isto monumento docemur viam Paenitentiariae non esse penitus clausam in difficilioribus casibus etiam qui competentiam istius tribunalis quodammodo excedunt. Re enim cum Supremo Pastore collata, potest Em. Cardinalis Paenitentiarius Maior supplementum competentiae sibi procurare.

ACTA SUMMATIM RELATA [1]

47. — SS. D. N. Pius. Pp. XI

A. — *Litterae de munere quodam in Curia Romana*

Card. Praef. Congr. Studiorum annumeratur S. Officio et Comm. Biblicae.

Motu proprio *Inde ab inito*, 24 sept. 1927, statuitur in posterum Em. Cardinalem Praefectum S. Congregationis de seminariis studiorumque universitatibus, ipso iure membrum fore S. Congregationis S. Officii itemque Pontificiae Commissionis pro studiis biblicis (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 329).

B. *Litterae de indulgentiis*

Indulgentiae orationis ad Virginem Reginam Pacis.

Instante Capitulo Liberiano (i. e. Basilicae S. Mariae Maioris, ubi a Benedicto XV collocata est statua B. M. Virginis, Reginae Pacis), SS. D. N. Pius Pp. XI. Brevi *Capitulum*, 13 iul. 1927, indulgentia 300 dierum, et eam cotidie per mensem recitantibus, indulgentia plenaria, semel in mense lucranda, ditavit orationem dicatam SS. Virgini Pacis. Indulgentia ubique acquiri potest.

Formula legi potest v. g. in *Monitore Ecclesiastico* 1927, p. 289.

C. *Litterae de dioecesibus.*

Fines dioecesis Patavinae et Vicentinae in Italia.

1. Bulla *Pro Apostolico munere*, 28 ian. 1927, dirimitur vetus controversia de respectivis finibus paroeciarum Thiene, in Patavina dioecesi, et Molina, dioecesis Vicentinae (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 265).

Dismembratio et aggregatio, Venet. - Tarvisin., in Italia.

2. Bulla *Ob nova*, 14 feb. 1927, patriarchatui Venetiarum (Italia) uniuntur duodecim paroeciae, distractae a dioecesi Tarvisina (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 297).

Translatio sedis Oleastrensis, in Italia.

3. Bulla *Supremi pastoralis*, 5 iun. 1927, transfertur sedes dioecesis Oleostrensis e civitate Tortoli in civitatem Lanusei (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 331).

Translatio sedis Boianensis et mutatio nominis, in Italia.

4. Bulla *Ad rectum et utile*, 29 iun. 1927, transfertur pariter sedes dioecesis Boianensis e civitate Boiani in civitatem Campobasso; unde et dioecesis in posterum nuncupabitur Boianensis-Campobassensis (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 332).

(1) Summaria benignae operae R. P. I. JANSSENS S. I. attribuenda sunt.

D. — *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis.*

Fines mutantur Mackenzie-Athabaska, in America sept.

1. Brevi *Quae ad rei sacrae*, 15 mart. 1927, immutantur fines Vicariatuum Apostolicorum de Mackenzie et de Athabaska in America septemtrionali; qui postremus deinceps de Grouard erit nuncupandus (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 267).

Item Orange-Prom. Bonae Spei, in Africa Merid.

2. Brevi *In omnes catholici*, 16 mart. 1927, pariter immutantur fines Vicariatus Apostolici de Orange in Africa meridionali, et Praefecturae Apostolicae districtus centralis Promontorii Bonae Spei (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 268).

Erigitur Praef. de Hpyeng-an-to, in Corea

3. Brevi *Quae fidelium*, 17 mart. 1927, territorium de Hpyeng-an-to, distractum a Vicariatu Apostolico de Seoul in Corea, erigitur in peculiarem Praefecturam Apostolicam de Hpyeng-an, curis Societatis pro Missionibus exteris de Maryknoll commissam (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, 269).

Erigitur Praef. de Kagoshima, in Iaponia.

4. Brevi *Aucto pastorum*, 18 mart. 1927, a territorio dioecesis Nangasakiensis in Iaponia, divelluntur praefecturae civiles de Kagoshima et Okinarva, in novam Praefecturam Apostolicam de Kagoshima erigendae, atque curis Ordinis Fratrum Minorum concreditae (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 270).

Fines mutantur Lulua-Katanga, in Congo belg.

5. Brevi *Quae in exploratam*, 7 apr. 1927, denuo immutantur fines inter praefecturas apostolicas de Lulua et Katanga, in Congo belgico (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 299).

Item Léopoldville-Coquilhatville, ibid.

6. Brevi *In hac Beati Petri*, 27 apr. 1927, definitur novus limes inter Vicariatum Apostolicum de Léopoldville et Praefecturam Apostolicam de Coquilhatville in Congo belgico (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 305).

Item Novae Guineae orient. et centr.

7. Brevi *Quae catholico nomini*, 27 apr. 1927, immutantur fines inter Vicariatum Apostolicum de Nova Guinea Orientali et Praefecturam Apostolicam de Nova Guinea centrali (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 306).

Mutatur nomen Vicar. Birmaniae orient.

8. Brevi *In universas orbis*, 27 apr. 1927, dismembrata iam a Vicariatu Apostolico Birmaniae orientalis Nova Praefectura de Keng-Tung, immutatur nomen ipsius Vicariatus, in posterum de Toungoo appellandi (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 303).

Erigitur Praef. de Lang-Long, in Sinis.

9. Brevi *Non sine magna*, 27 apr. 1927, in Vicariatum Apostolicum erigitur Praefectura Apostolica de Lang-Long in Sinis (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 301).

Erigitur Praef. Keng-Tung, in Birmania.

10. Brevi *In omnes orbis*, 27 apr. 1927, e Vicariatu Apostolico Birmaniae Orientalis seiungitur territorium erigendum in novam Praefecturam Apostolicam de Keng-Tung, curis sacerdotum Pontificii Instituti a SS. Apostolis Petro et Paulo commissam (*A. A. S.*, 1. sept. XIX; 302).

11. Brevi *Nihil antiquius*, 27 apr. 1927, a Vicariatu Apostolico de Batavia dismembratur nova Praefectura Apostolica de Malang, quae Ordini Carmelitarum commissa manet (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 304). *Erigitur Praef. de Malang in Iara.*

E. — *Litterae de ecclesiis.*

In Basilicam minorem eriguntur:

a) Brevi *Sacra aedes*, 23 apr. 1927, ecclesia S. Francisci Assisiensis civitatis Mendoza, in dioecesi S. Ioannis de Cuzo (in republica Argentina. — *A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 300). *Mendoza, in Rep. Argentina*

b) Brevi *In Comensis*, 11 maii 1927, ecclesia B. M. V. ab Apparitione, in oppido Tirano, Comensis dioecesis (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, 337). *Tirano, in Italia.*

c) Brevi *Allatum Nobis*, 20 maii 1927, ecclesia Ordinis Fratrum Praedicatorum in civitate Vindoboniensi, B. M. V. a Rosario sacra (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, 339). *Wien, in Austria.*

F. *Litterae de erigendo seminario.*

Bulla *Nostrarum partem*, 5 aug. 1927, erigitur Pontificium Seminarium regionale pro insula Sardinia, in civitate Kúlaris (vulgo Cúglieri), curis Societatis Iesu commissum, cui facultas fit conferendi gradus academicos (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 335). *Seminarium regionale in Sardinia*

48. — S. Congregatio Consistorialis

1. Decreto 18 mart 1927, territorium a paroecia de Curtarolo Patavinae dioecesis, aggregatur paroeciae Vaccarino, Vicentinae dioecesis in Italia (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 279). *Dismembratur et aggregatur pars paroeciae.*

2. Secundum can. 1594, § 2, Metropolita Oregonopolitanus designavit pro appellatione in secunda instantia tribunal metropolitae S. Francisci; itemque metropolita Cincinnatensis, tribunal Ordinarii Clevelandensis: quae designationes approbatae sunt 27 iul. 1927 (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 348). *Designantur Ordinarii pro appellatione.*

49. — S. Congregatio Concilii

Declaratione 13 iun. 1927, notum redditur sacerdotem Iosephum Paccagnella, Patavinae dioecesis in Italia, cum mandatis S. C. Concilii de exsecutione quarundam piarum voluntatum non paruerit, incurrisse interdictum personale ad normam can. 2275, ei comminatum a die 27 apr. 1927 (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 281). *Notificatur interdictum personale.*

50. — S. Congregatio de Religiosis

Approbationes Constitutionum.

Orsoline di Somasca.

1. Decreto 8 iul. 1927, S. Congr. approbavit institutum *Orsoline di Somasca,* cuius domus princeps sita est in dioecesi Bergomensi; itemque eius Constitutiones ad septennium.

Siervas de Iesús.

2. Item. 8 iul. 1927, ad septennium, Constitutiones instituti *Siervas de Jesús,* cuius domus princeps in dioecesi Victoriensi in Hispania.

Sorores a N. Domina de Mercede

3. It. 1 aug. 1927, definitive, Constitutiones Congregationis Sororum a *Nostra Domina de Mercede,* cuius domus princeps in dioecesi Barcinonensi.

Sorores Caritatis B. M. V.

4. It. 1 aug. 1927, definitive, Constitutiones instituti *Sororum Caritatis B. M. V.,* cuius domus princeps in archidioecesi Dubuquensi.

Sacerdotes operarii dioecesani Cordis Iesu.

5. It. 1 aug. 1927, sodalitatem *Sacerdotum Operariorum dioecesanorum Cordis Iesu,* cuius domus princeps in dioecesi Derthusiensi; probanturque eius Constitutiones ad septennium.

51. — S. Cong. de Prop. Fide

Designantur Ordinarii pro appellatione.

Secundum can. 1594, § 2, pro appellatione in secunda instantia designaverunt:

Archiepiscopus Dyrrachiensis, metropolitam Scodrensem; quae designatio approbata est 2 iun. 1927 (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 348).

Vicarius Apostolicus de Victoria Nyanza, Vicarium Apostolicum de Uganda; approbatio 25 iul. 1927 (*A. A. S.*, ibidem).

52. — S. Cong. Rituum

Officium et Missa S. Teresiae a Iesu infante.

A. Decreto 13 iul. 1927, ad Ecclesiam universam extenditur festum *S. Teresiae a Iesu Infante*, virginis, sub ritu duplicis minoris; simulque probatur missa, quae est missa *Dilexisti,* de communi virginum cum oratione propria, atque officium, pariter de communi virginum, praeter lectiones 2 nocturni et orationem propriam (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 286).

B. — *Causae beatificationis et canonizationis.*

V. S. D. Vincentia Gerosa.

1. Die nono Kal. Aug. (24 iul.) 1927, decretum est constare de virtutibus heroicis Ven. Servae Dei Vincentiae Gerosa, alterius fundatricis instituti Sororum a Caritate in oppido Luere,

cuius nempe princeps promotrix, Bartolomea Capitanio, nuper inter Beatos caelites relata est (*A. A. S.*, 1 aug. 1927, XIX, 283).

B. Hugo Possensis.

2. Die 13 iul. 1927, confirmatum est rescriptum S. Cong. Rituum diei 5 iul. 1927, de confirmanda sententia lata in Curia Namurcensi in Belgio, super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Hugoni Fossensi, abbati Ordinis Praemonstratensis (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 316).

B. Salvator ab Horta.

3. Die 13 iul. 1927, confirmatum pariter est rescriptum S. Congr. Rituum diei 5 iul. 1927, quo edicitur constare de virtutibus heroicis in causa canonizationis Beati Salvatoris ab Horta, laici professi Ordinis Fratrum Minorum (*A. A. S.*, 1 sept. 1927, XIX, 320).

S. D. Maria Victoria Teresia Couderc.

4. Die 13 iul. 1927, subsignata est commissio introductionis causae Servae Dei Mariae Victoriae Teresiae Couderc, cofundatricis Societatis Dominae Nostrae a recessu in Coenaculo, natae in dioecesi Vivariensi anno 1805, defuncta Fourvière, anno 1885 (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 349).

53. — S. Romana Rota

Oratio inauguralis anni iuridici.

S. Rota iure cognoscit de causis etiam acatholicorum baptizatorum,

Iuvat pauca excerpere ex oratione inaugurali, instaurato anno iuridico, a Decano S. Rotae habita coram Sanctissimo, in audientia 1 oct. 1927. Alludendo nempe ad dicteria apud acatholicos suscitata quibusdam recentibus causis matrimonialibus procerum, advertit Illm. et Revm. D. Decanus, S. Rotam minime excessisse limites suae provinciae, dum causas *etiam acatholicorum* dirimendas suscipit. Ecclesia enim competens est in causis matrimonialibus omnium baptizatorum, nec quemquam eorum, etiamsi sit acatholicus, respuit ubi recurrit ille « ad animae praeiudicium avertendum » (can. 1654) (1).

Nec minorem sollertiam affert in causis pauperum.

Nec ullo modo tribunal Rotae incusare licet quod divitum quidem causas strenue sustineat, pauperum vero minoris faciat. Ex 45 causis matrimonialibus hoc anno tractatis, 28 victae sunt a parte in nullitatem agente: ex 28 istis sententiis, dimidia fere pars lata est in favorem pauperum, gratuito gaudentium patrocinio.

(1) Ill. D. allegat ibi canonem qui agit de excommunicatis vitandis aut tolerandis; non autem de iis qui sectae haereticae ascripti sunt, saltem qua talibus. De horum causis matrimonialibus, Suprema *S. C. S. Officii*, litteris missis ad Ill. Archiepiscopum Friburgensem die 8 april. 1925, respondit, ut iudicari possint a tribunali ecclesiastico, recurrendum esse singulis casibus ad S. Officium. Cf. *Per.* XIV, 166.

Atque vix sufficiunt taxae a ditioribus solutae, ad compensandas expensas in gratiam pauperum necessario sustinendas (*A. A. S.*, 3 oct. 1927, XIX, 354).

54. — Provisio Ecclesiarum

Decretis *S. Congregationis Consistorialis* nominati sunt:

Santa Severina (Italia)

1 iul. 1927, R. P. D. Antonius Galati, archiep. Sanctae Severinae, ex ep. Oppidensi.

Catamarca (Argentina)

7 iul. 1927, R. P. D. Innocentius Davila y Matos, ep. Catamarcensis, ex ep. tit. Ostracinitensi.

Paraná (Argentina)

7 iul. 1927, Rev. D. Tulianus Martinez, ep. Paranensis.

Cordoba (Argentina)

7 iul. 1927, R. D. Firminus Lafitte, ep. Cordubensis in America.

Santiago del Estero (Argentina)

7 iul. 1927, R. D. Audinus Rodriguez, ep. Sancti Iacobi de Extero.

Lodi (Italia)

8 iul. 1927, R. P. D. Petrus Calchi-Novati, ep. Laudensis, ex ep. Bobiensi.

Anagni (Italia)

8 iul. 1927, R. D. Gaudentius Manuelli, ep. Anagninus.

Ogliastra (Sardinia)

15 iul. 1927, R. D. Iosephus Miglior, ep. Oleastrensis.

San Severino e treja (Italia)

1 aug. 1927, R. P. D. Vincentius Migliorelli, ep. S. Severini, cui sedi annexa est administratio perpetua dioecesis Treiensis, ex ep. Nursino.

Oppido Mamertina (Italia)

26 aug. 1927, R. P. D. Iosephus Antonius Caruso, ep. Oppidensis, ex ep. Cariatensi.

Nardo e Gallipoli (Italia)

13 aug. 1927, R. P. D. Caietanus Müller, ep. Neritonensis, et Gallipolitanus, utraque sede ad personam unita, ex ep. Gallipolitano.

Capaccio-Vallo e Policastro (Italia)

13 aug. 1927, R. P. D. Franciscus Cammarota, ep. Caputaquensis-Vallensis et Policastrensis, utraque sede ad personam unita, ex ep. Caputaquensi-Vallensi.

Calahorra y S. Domingo de la Calzada (Hispania)

7 sept. 1927, a R. P. D. Fidelis Garcia Martinez, ep. Calagurritanus et Calceatensis, utraque sede perpetuo unita, ex ep. titulari Hippensi.

Decretis *S. C. de Prop. Fide* nominati sunt:

Gibraltar

25 maii 1927, R. D. Richardus Fitzgerald, ep. Giblatariensis.

Dinajpur (Indiae Orient.)

18 iun. 1927, R. P. D. Sanctinus Taveggia, ep. Dinajpur, ex ep. Krishnagarensi.

Chittagong (Indiae Orient.)

18 iun. 1927, R. D. Alfridus Lepailleur, ep. nuper erectae sedis de Chittagong.

Poona (Indiae Orient.)

14 iul. 1927, R. P. D. Henricus Doëring, ep. Poonensis, ex ep. tit. Madytensi.

Fukuoka (Iaponia)

14 iul. 1927, R. D. Ferdinandus Thiry, ep. nuper erectae sedis de Fukuoka.

16 iul. 1927, R. D. Ianuarius Hayasaka, ep. Nagasakiensis. *(Iaponia) Nagasaki*

Decretis *S. Cong. pro Ecclesia Orientali*, die 25 iul. 1927, confirmata est electio canonice facta chorepiscopi Iosephi Rabbani in ep. Hemesensem Syrorum. *Homs (Syria)*

55. — Nominationes.

Brevibus Apostolicis nominati sunt :

21 apr. 1927, R. D. Alexander Carlo, Vic. Ap. de Lang-Long. *Lang-long (in Sinis)*

8 iun. 1927, R. P. Henricus Vielle, O. F. M. Vic. Ap. de Rabat. *Rabat (Maroccum)*

12 iul. 1927, R. P. D. Iosephus Dinand, S. I., Vic. Ap. Iamaicae. *Iamaica*

16 iul. 1927, R. P. D. Eduardus Galvin, Vic. Ap. de Hanyang. *Hanyang (in Sinis)*

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt.

18 iun. 1927, R. D. Henricus Breuer, Obl. M. I., Praef. Ap. de Pilcomayo. *Pilcomayo (America meridionale)*

21 iun. 1927, R. D. Erminius Bonetta, Miss. Mill. Hill, Praef. Ap. de Kengtung. *Keng-tung (Birmania)*

2. iul. 1927, R. D. Augustinus Wachter, Praef. Ap. de Borneo septemtr. *Borneo sept.*

15 iul. 1927, R. P. Edgardus Häring, O. F. M., Praef. Ap. de Shohchow. *Shohchow (in Sinis)*

19 iul. 1927, R. P. Clemens van der Pas, O. Carm. Praef. Ap. de Malang. *Malang (Java)*

56. — Necrologium.

11 iul. 1927, Em. D. Card. Octavius de Azevedo, tit. S. Laurentii in Damaso, Cancellarius S. R. E. *Roma*

15 iul. 1927, Ill. D. Ioannes della Croce Raffl, ep. Brixinensis. *Bressanone*

25 iul. 1927, Em. D. Card. Ioannes Csernoch, tit. S. Eusebii, archiep. Strigoniensis. *Esztergom*

2 apr. 1927, Ill. D. Ottocarus Prohàska, ep. Albae Regalensis. *Székes-Fehérvar*

17 iul. 1927, Ill. D. Martinus Hubertus Rutten, ep. Leodiensis. *Liége*

1 aug. 1927, Ill. D. Raymundus da Silva, archiep. Emeritensis in Indiis. *Merida (Venezuela)*

4 aug. 1927, Ill. D. Septimius Quadraroli, ep. Theramensis, *Teramo*

23 aug. 1927, Ill. D. Iosephus Lopez Leide de Taria, ep. Brigantiensis *Bragança*

24 aug. 1927, Ill. D. Franciscus Xaverius Schoepfer, ep. Tarbensis et Lapurdensis. *Tarbes et Lourdes*

25 aug. 1927, Em. D. Card. Henricus Reig y Casanova, tit. S. Petri in Montorio, archiep. Toletanus. *Toledo*

14 sett. 1927. Ill. D. Iosephus Gandolfi, ep. Aesinus. *Iesi*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Vincenzo del Giudice (Prof.). *Promulgazione e obbligatorietà della Legge canonica,* Opusc. in-8, 24 p. Milano, Soc. Vita e Pensiero, s. d.

Juan B. Ferreres (S. I.). *Los Esponsales y el Matrimonio según la disciplina del Codigo Canónico.* Comentario canónico moral; séptima edición, primera depués del Código; vol. in-8, XII-578 p. Razon y Fe, 1927. Venit 8,50 pesetas.

I. Estudio general del decreto « Ne temere ».

II. La disciplina vigente sobre esponsales y matrimonio. 1. Esponsales. 2. La Forma del Matrimonio. 3. Aplicaciones prácticas. Breve resumen comparativo de la vigente disciplina con la del decreto « Ne temere » y la anterior a dicto decreto.

Jacques Leclercq (Prof.). *Leçons de droit naturel.* I. Le fondement du Droit et de la Société. vol. in-8, 271 p. Louvain, Société d'études morales, sociales et juridiques, 1927. Prix: 21 fr.

La notion de droit et le problème du droit naturel. — La règle de l'action humaine. — Le bien moral. — Le progrès. — La justice. — La société et l'individu. — L'élaboration du droit (Droit naturel et droit positif).

Jacques Maritain (Prof.). *Primauté du Spirituel.* vol. in-8, 316 p. Paris, Plon, 1927.

Avant-Propos. — Introduction. — Les deux Pouvoirs. — Une crise de l'esprit catholique. — Dieu premier servi. — Annexes.

Sosius d'Angelo (Prof.) *Ius Digestorum,* additis iurium nostri Temporis, praesertim iuris canonici adnotationibus. In 8° XVI-675 p. Romae. Marietti, Tomus I (p. I). Pars generalis. Introductio. Pars Generalis. I. *De iure obiectivo:* Generalia; fontes iuris romani; efficacia iuris; interpretatio iuris. - II *De iure subiectivo:* Subiectum iuris (persona physica, eius tutela et cura; personae iuridicae): obiectum iuris (res, praestationes); causa iuris (Generalia; negotia iuridica; actus illiciti; Decursus temporis); exercitium iuris eiusque praesidia.

A. M. Micheletti (Prof.). *Epitome Theologiae pastoralis.* 2 vol.

in-16; XVII-324 et IX-493 p. Romae-Taurini, 1925-1927. Veneunt 12 et 17 lib. ital.

I. *De Persona Pastoris* eiusque relationibus cum Superioribus, aequalibus, inferioribus ecclesiasticis et consanguineis, ecclesiae inservientibus, famulis et ancillis, paroecianis. De quibusdam peculiaribus boni Pastoris adiumentis.

2. De cultu divino: de eo in genere, de locis sacris, de rebus sacris, de cultus praxi (sacris functionibus, pietatis exercitiis et orationibus). — De Sacramentis et cultu ss. eucharistiae. — De temporibus sacris.

II. *De magisterio Pastorali.* Pars I. De scandalis eradicandis. — De scandalis in genere; de quibusdam scandalorum causis. — De scandalis maioribus (luxuria, pecuniae aviditate, gula, scandalis in fide et superstitionibus).

De pace Christi in regno Christi quaerenda.

G. Vromant (C. I. C. M.). *De bonis Ecclesiae temporalibus.*

I. *Prolegomena.* De bonis Eccl. cathol. et Ap. Sedis; de ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus. Ius Ecclesiae exactiones praescribendi. Divisio bonorum temporalium. Usus vocis « ecclesiae ».

II. *De bonis ecclesiasticis acquirendis.* Acquisitio in genere et apud missionarios. Modi acquirendi in specie.

III. *De bonis Ecclesiae administrandis.* Notiones. Subiectum cui ius. Normae administratoribus praescriptae. Specialia de beneficiariis, de religiosis. Administratio in missionibus.

IV. *De contractibus in genere et in specie.*

V. *De piis fundationibus.*

Supplementum de S. Paenitentiaria.

Fernand Baudhuin (Prof.). *La Revalorisation des rentes et des créances.* Un problème d'équité. Brochure 40 p. Louvain, Société d'études morales, sociales et juridiques, 1927. Prix: 2,50 f.

Avertissement. — Principes généraux. — La justification des directives. — Les conséquences de la revalorisation sur les finances de l'État. — Objections et contre-propositions.

du Bois de Vroijlande, S. I. (Prof.) *Volksverheffing in de R. K. Standsorganisatie der Werklieden in Nederland,* vol. in-8, 294 p. Leuven, Vlaamsche Boekenhalle, 1924.

Deel I. De Werkliedenorganisaties in Nederland tot 1916: de niet-katholieke en de katholieke organisaties.

Deel II. De organisatorische Vorm van de Werklieden-Standsorganisatie.

Deel III. Werking op stoffelijk Gebied.

Deel IV. Ontwikkelingwerk.

Deel V. Werking tot godsdienstige Verheffing.

Deel VI. Beoefening der Naastenliefde.

Deel VII. De Werklieden-Standsorganisatie en de politieke Actie.

Deel VIII. Organisatorische Ontwikkeling sedert het Communiqué (van 1916).

Besluit.

Maurice Damoiseaux (Gouverneur du Hainaut). *La Belgique contemporaine.* Essais d'histoire politique. Préface du cte Carton de Wiart, Ministre d'État. in-8, VII-312 p. Louvain, Société d'études morales, sociales et politiques 1926. Prix, 9 fr.

Les origines de la Société politique belge: La Révolution de 1830; la Révolution Brabançonne; la Domination française en Belgique (1792-1814); la Belgique en 1815; la domination hollandaise; Formation de l'esprit national.

Les origines des partis politiques belges : le parti libéral et le parti catholique.

Avant - Propos. Le Royaume des Pays-Bas : l'absence de vie politique. — Union pour le redressement des griefs. — Le libéralisme exclusif. — L'unionisme constitutionel. — Principes philosophiques et politiques de la Franc-Maçonnerie belge. — Le Congrès libéral de 1846 et l'organisation du parti libéral. — Les premières années de la prépondérance du parti libéral et l'unionisme constitutionnel. — Premiers essais d'organisation du parti constitutionnet et conservateur. — Organisation du parti conservateur. — La *Fédération des Cercles catholiques.*

M. Damoiseaux (Gouverneur du Hainaut). *Le Gouvernement de la Belgique.* Tableau des institutions politiques, judiciaires et administatives de la Belgique contemporaine. vol. in-8, 224 p. Société d'études morales, sociales et juridiques, 1927. Prix, 9 fr.

Caractères généraux des institutions belges. — I. Des garanties constitutionnelles. — II. Du Gouvernement et des Pouvoirs. — III. Du Roi et des Ministres. — IV. Des Chambres. — V. Des Cours et Tribunaux. — VI. De l'Administration des Provinces et des Communes. — VII. Des Finances. — VIII. De la Force publique.

M. Ballings, S. I. *Wilskracht,* vol. in-8, 202 p. Alken, Retraitenhuis.

Valsche onafhankelijkheid. — Echte onafhankelijkheid. — Zelfbeheersching, de echte vrijheid. — Ge zijt waard wat uw wil waard is, geen fik meer. — Leeren willen, gaat dat? — Zelfkennis. — Geest en wil. — Leeren willen « hoe » gaat dat? — « Overwin u zelf ». — Gehoorzaamheid. — Bijzonder onderzoek. — Wil en gewoonte. — Wil en genade. — Een toonbeeld.

Victor Cremers, S. I. (Prof.). *Kerk en Staat.* vol. in-8, XIV-154 p. Antwerpen, N. V. Standaard-Boekhandel, 1927.

I. *De Theorie over de verhouding tusschen Kerk en Staat:* De Systemen; Het Princiep der Oplossing; Weerlegging der bizonderste valsche Systemen; Verhouding der beide Machten in abstracto.

II. *Toepassingen:* historische vormen der Requirentie; ongelijke uitgestrektheid van de kerkelijke Bestuursmacht; wederzijdsche rechten en plichten van Kerk en Staat. Besluit.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses 1927. C. CALLEWAERT, De ordine baptismi adultorum. — V. COUCKE, De virtute paenitentiae.

Collationes Gandavenses, 1927. — A. STANDAERT. Obligatio heredis solvendi debita ultra hereditatis vires.

Collationes Tornacenses, 1927. Augmentum gratiae sanctificantis ex opere operantis. — De benedictione apostolica in articulo mortis. — A. BAUD' HUIN, Les syndicats ouvriers chrétiens.

Collectanea Mechliniensia, 1927. Fasciculus extraordinarius omnia refert acta, tum in Urbe tum Mechliniae, de creatione novi Cardinalis Ill. D. VAN ROY, archiep. Mechlin, quem Deus diu ad multa bona sospitem servet. — A. GOUGNARD. De iurisdictione interdioecesana. - De formula absolutionis Tertiariorum — K. CRUYSBERGHS. Skrupel-behandeling in pastoreel opzicht. — J. DE JONGE. Notion de la théologie ascétique et mystique. — P. GILLET. L'aliénation des biens meubles d'une fabrique.

Estudios Eclesiásticos 1927 — TEIXIDOR L. El uso de la palabra Justicia Original, en Santo Tomás de Aquino — MARXUACH F. El antitomismo del P. Suárez.

Benediktinische Monatschrift, 1927. Abt LAURENTIUS ZELLER. Das soziale Königtum Christi. — P. AMANDUS BIELMEIER. Das Kreuz als religiöses Symbol der helladischen Urzeit. — P. ALOIS MAGER. Mystik und Leben.

Il Monitore Ecclesiastico, 1927. Delle distribuzioni al Coadiutore, *presente Coadiuto* e dell'opzione. — Pensioni ecclesiastiche sopra benefizi — Rendiconto al Vescovo riguardo a beni parrocchiali, specie durante le vacanze, — Quote funerali in una cattedrale. — Sul servizio corale alternativo.

Perfice Munus, 1927. G. ROSSI, Can. 2254 del Codice (absolutio a censuris in casu urgentiore). — S. BICCARI. La Chiesa funerante nella vigente disciplina canonica. - Ricorsi alla S. Sede. (pratica) — N. FANELLI. Prebenda e puntatura. — M. PISTOCCHI. Potere del Vescovo intorno i privilegi dei capitoli. — G.

LARDONE. Presenza corale. - La parrocchia ed il precetto pasquale. - Vino per messe trattato col bisolfito. « Das », a proposito di puntature corali (servizio a turno) — *** L'educazione diretta della purezza. — ADLOFF. Natura e qualità della direzione spirituale. — A. S. Luce elettrica nelle Chiese. — FELICE PAGAN. Anniversari per defunti.

Pastor Bonus, 1927. Dr. SCHLICH, Priestermangel und Priesterberufe. — ZIMMER. Ueber Stigmatisation und ihre Erklärung. — Dr. LENZ. Die Abtreibung.

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1927. Dr. J. MACK. Eine grosse Gefahr und eine grosse Aufgabe (Action française. Hypernationalismus. Internationalismus). — B. VAN ACKEN. Das Abstinenzgebot. - Moderne Tänze. — PRÜMMER, O. P., Ehe zwischen Halbgeschwistern. — F. BÖHM. Ausnahmspreise für Angestellte eines Betriebes. — H. JONE, O. Cap. Verschiedenes über Mishehen. — BIEDERLACK, S. I. Die sogen. « neue Wiener Richtung » in der Sozialpolitik. — Prof. J. HARING. Eine Ehedispensation der Pönitentiarie für den äusseren Rechtsbereich. — W. GROSAM, Ist es erlaubt bei Schulkinderbeichten die absolutio a censuris wegzulassen ?

Revue des Communautés religieuses, 1927. J. CREUSEN, S.I. Recours non nécessaires à Rome. — R. BROUILLARD, S. I. Le secret dans la vie religieuse. — J. JANSSENS, S. I. Les aliénations de biens.

Nouvelle Revue Théologique, 1927. Dr. P. DEMADE. Note de médecine pastorale. - La thérapeutique des passions (une iudication contre le vice solitaire).

Nederlandsche Katholieke Stemmen, 1927. H. BEIJERSBERGEN, S. I. Een huwelijksgeval. - Over het kruisteeken in de H. Mis — W. BÖING, M. S. C. De verplichting van mishooren voor reizigers op zee. — J. PUBBEN, C. ss. R. Welke is de natuur en de gravitas van de « communio sacrilega » — W. MULDER. Parochus proprius et parochus loci.

Le Recrutement sacerdotal 1927. Aptitudes et inaptitudes à la vocation sacerdotale : AUG. CONLY. Textes anciens et Codex ; — R. DE SINETY. Psychopathies. Sur leurs prodromes chez les candidats au sacerdoce ; — P. GONTIER. Discernement des aptitudes ; — E. LOMBARD. Le signe sur les mains.

Resena Ecclesiastica, 1927. MIGUEL DE ARQUER. Impedimentos del matrimonio. — *** Instrucciones sobre la Cruz que debe colocarse en el Altar. — Ill. De los Congresos por la Unión de todos los Cristianos. — M. ALUJAS. De la preces después de la Misa.

CAROLUS BEYAERT, Editores Pontificii

BRUGIS (Belgii)

AL. DE SMET, S. T. D.

TRACTATUS THEOLOGIGUS & CANONICUS

DE SPONSALIBUS & MATRIMONIO

Editio, quarta 1927, inde a Codice altera
1 vol. in-8, XLVI-840 pag. cum notis marginalibus
Pretium additis expensis postalibus: 25,60 Belga seu 64 Lire.

Eiusdem auctoris:

COMPENDIUM
DE SPONSALIBUS & MATRIMONIO

Editio scholaris altera, 1927, 1 vol. in-8, XXX-438 pp.
Pretium additis expensis postalibus 9,20 Belga seu 23 Lire.

J. BITTREMIEUX, Ph. e Th. D.

DE MEDIATIONE UNIVERSALI
BEATAE MARIAE VIRGINIS - Quoad Gratias

In-8. - 320 p. Pretium additis expensis postalibus 5,70 Belga seu 14,25 Lire

---

Docteur G. CLÉMENT.

LE DROIT DE L'ENFANT À NAITRE

In-12. - 120 pages. Nouvelle édition. Franco 1,65 Belga seu 4,65 Lire

---

A. VAN HOVE, Ph. S. T. D.

LA DOCTRINE DU MIRACLE
CHEZ S. THOMAS

In-8. XXXV-390 pages. Franco Belga 13.25 seu 32.80 Lire.

F. M. Cappello. — *Tract. canonico-moralis de Sacramentis.* I. De Sacr. in genere et tribus prioribus Sacramentis (L. 26). II. 1ª Pars. De Paenitentia (L. 32). III. De Matrimonio, 2 ed. cum Append. de iure matr. Orientalium (L. 35). *Paratur* vol. II. 2ª Pars De Ordine et Extr. Unctione.

Summa iuris publ. Ecclesiastici (L. 18).

Tract. can-mor. de Censuris, ed. 2 (L. 18).

B. Ojetti. — *Commentarium in Codicem I. C.* Vol. I. Normae generales (L. 30).

A. Vermeersch. — *Theologiae Mor. Principia, Responsa, Consilia.,* ed. 2. I. Theol. fundamentalis (L. 24). II. De Virtutibus theol. et moralibus, excepta Castitate (sub prelo). III. De personis, Sacramentis, Ecclesiae praeceptis et Censuris, cum Appendicibus historicis: Volumen canonico liturgicum et morale (L. 40). IV. De castitate et vitiis oppositis, pars moralis de Matrimonio (L. 7).

Epitome Iuris can. cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum cum facultatibus Legatorum Pont., Vic. et Praef. Apost. Episcoporum (opera **A. Vermeersch** et **I. Creusen**) 3. vol., I. ed. 3, lib. I. et 2 Codicis (L. 28); II, I. 3 Cod. ed. 3 (L. 18); III, I. 4 et 5 Cod. ed. 2 (L. 26).

De Religiosis Institutis et Personis. I. Ad usum scholarum, ed. 3 paratur. II. Supplementa et Monumenta. Ed. 4. (Fr. 24,50 seu nunc L. 12,50).

De facultatibus S. C. de P. F. Commentaria (Fr. 5 seu nunc L. 2.50). Praeterea: *Periodica de re canonica et morali* ab anno 1905 (15 vol.) — *Quaestiones de religione et pietate.* — (Variis linguis): *La Tolérance. — Méditations sur la S.te Vierge = Pratique et Doctrine de la dévotion au S. Coeur. — Les archives du Manuel social* (cum **A. Muller,** S. I.) — Paratur nova ed. *De Religiosis. — De Iustitia. — De Castitate.*

Wernz.-Vidal. *Ius Decretalium.* Tom. II. *De Personis* (L. 40); V. *Ius Matrimoniale* (L. 50). *Ceteri* vel sub prelo sunt vel parantur.

Opera ista prostant vel Romae (119), 120 Via del Seminario; vel Brugis, in Belgio, apud ed. Pont. C. Beyaert. Periodica tamen annorum praeteritorum, solum apud Beyaert.

N. B. Haec Periodica veneunt pretio annuali 20 lib. ital. in Italia; 25 lib. ital. extra Italiam et Belgium; in Belgio, 30 fr. belgicis. Ementes in Italia pretium potius solvant Roma (119), Università Gregoriana, 120 Via del Seminario; extra Italiam, potius apud Beyaert, Bruges, 6 rue Notre Dame, Belgique.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Domenico Palermo Lazzarini, Università Gregoriana Roma - responsabile

ISOLA DEL LIRI — Soc. Tipografia A. Macioce & Pisani